ANNOTA
IN
GALEN


ANNOTATIONES

IN GALENI INTERPRETES: QVIBUS

bus uarij loci, in quos hactenus impegerunt lectores, & explicantur, & summa fide restituuntur:

Andrea Lacuna Secobiensi, Doctore Medico, Milite Sancti Petri, autore.

IN VIRTVTE ET FORTVNA.



LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium,

sub Scuto Veneto.

1553.

ILLVSTRISSIMO ET SAPIENTISSIMO uiro, ac D. D. Didaco Furtado à Mendozza, apud Paul. III. P. M. Oratori Cæsareo, longè uigilantißimo, Andreas Lacuna Secobien. Doct. Med. Miles Sancti Petri.

S. P. D.

QVOD non perinde nostros lapsus cernamus, ac errata aliorũ perspicimus, in causa est quidẽ, ἡ φιλαυτία, vir Illustriss. Nã quũ vnusquisq; cæcutiat erga eã rem, quã amat (vt sensisse Diuinus ille Plato videtur) cuncti autem se omnium maximè diligant, optima ratione contingit, vt de se nemo rectè iudicium ferat. Idcirco pulchrè, mea quidẽ sentẽtia, dictum est illud, gestare nos duplicẽ manticam è collo suspẽsam: vnam quidẽ antè, alienorũ; alterã

verò post, nostrorum errorum plenam: ac proinde nos, peccatis propriis relictis, ad aliena, quę obiecta semper oculis sunt, examinanda inclinari. Quanquam sanè qui studio veritatis inuestigandæ, non autem lædendi quempiam, id faciunt, adhibitáq; omni moderatione, ij certè non venia modò, sed summa etiam laude sunt digni. Nō desunt tamen nonnulli malè feriati, qui ex alienis contumeliis gloriam sibi aucupantes, in viros eruditos & cādidos, quiq; nihil vnquā tam habuerūt in votis, quàm vt Reipubl. literariæ prodessent, veluti in proditores patrię, in contemptores Diuorum, communésque humani generis hostes, acerbè simul & impudenter, vel leuissima ex occasione, inuehātur: quum deberent potius illis bene precari, ob egregiè in cōmunem vsum nauatam operam. Inhumanum quippe, maximeq; ferinum est, eos qui vt cōmunia studia iuuarēt, sese obiecerunt sycophantarū calūniis, ob multa quidē ac varia, quæ ex Græca in Latinam linguā fidelissimè transtulerunt, nō cumulare suis iustis laudibus: ob paucula verò, in quibus sunt lapsi humanitus, probris & conuiciis opprimere. Vt autē reliquos oēs prætereā, qui sua industria artem Apollineam locupletarunt, certè Ioannes Guinterius.

terius Andernacus, in quē plurimi præter meritū debacchātur, vnus ex primis fuit, qui Galenū introduxerunt nobis Latinè, purè, atq; ornatè loquentē. Quòd si ex iis, quæ iampridē vertit, nōnulla offendāt aures delicatiores, id cuiquā mirū esse nō debet: quandoquidē superioribus annis, quū Lutetiæ Parrhisiorū politiores disciplinæ inciperent iam renasci & florescere, primumq; ipse ad trāsferenda Græca se accin geret, tum vt tyronū votis obsecundaret, qui sitiētissimi Galenianæ doctrinæ, quēadmodum famelici pueri, qui semicrudas carnes deuorant, prius quàm accuratè coquantur, incōfectos cōmētarios illi extor quebamus è manibus: tum vt satisfaceret importunis typographorum precibus, coactus fuit tantū singulis diebus vertere (id quod ipse testari possum) quātū premi duplici torculari poterat: atq; ita suas tralationes, nondū integrè elaboratas, præcipitare. Quare (vt idem repetā) perperā mihi vidētur facere, qui virū in vtraq; literatura absolutū, exquisitissimumq; Medicū & Philosophū (cuius studiis omnes debemus plurimū) tam insolēter infestant: quū nullus extiterit hactenus adeò fidus Galeni interpres, qui interdū hallucinatus nō fuerit: ac proinde ad veritatē ipsam inuesti-

gandam, præsertim in rebus arduis & maximis, cuiusmodi Ars Medica existit, necessariò ingenia pluriū desyderentur, vt videlicet quę hunc fugiūt, ille cernat exactius. Sunt enim difficilia semper, quę optima. Quū igitur superioribus diebus vniuersa Galeni opera in methodū lōgè breuiorē, ac faciliorem cōtrahens, obiter reperissem cōplura, hactenus animaduersa à nemine, in quæ lector facilè impingere poterat: rē haud inutilē me facturū existimaui, si omnia loca precipua, quæ, iudicio meo, aliā requirebant expositionē, pauculis annotarem, arbitriumq; studiosis relinquerē aut sequendi versionē nostram, aut consulēdi Gręca exemplaria. Neq; enim tantū mihi ipsi tribuo, vt velim illis ita meā sentētiam probari, ac si Lycurgi, aut Solonis decretū esset. Nam & insitam mihi fragilitatem agnosco, & iudico omni ex parte difficile, vt qui homo sit: passim non decipiatur: id quod Gale. secūdo li. de Cōpositione pharmacorū secundū partes, non minus verè, quàm elegāter, cōfirmat, dicēs: Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δ᾽ ἀμελέστερον γράψαντα: queādmodū certè aliquando mihi accidisse fateor, q iuuenili pruriēs olim scribēdi libidine, nonnul

nõnulla paulò maturius edidi, quæ optarẽ nunquã prodiisse in lucẽ. Quãquã animus hauddubiè est, vbi otiũ fuerim⁹ nacti, quęcũq; à nobis cõscripta citra pfectũ iudiciũ sunt, ea oĩa recoquere, reuocareq; ad limã accuratiorẽ: idq; patrũ grauissimorũ exẽplo, q vel in sacris literis, in quib⁹ maiori cũ periculo erratur, retractare propria scripta nõ dubitarũt. Quòd si quis interim vir doctus iuxtà & syncerus, vel in hisce nostris Annotationibus, vel in aliis oĩbus, quæ aliàs à nobis sunt exarata, meliora in mediũ pduxerit, ego primus oĩm illa amplexabor, eiq; immortales gratias habebo, nec minores, quàm si mihi laborãti graui ophthalmia oculorũ aciem restituisset, modò eo vtatur cãdore & modestia, quę viros Philos. decet, veritatisq; amãtissimos. Semp nãq; à moribus Erasistrateorũ abhorrui, qui adeò pertinaciter suã tuebãtur hæresim, vt cẽserẽt patriã potius prodẽdã esse, quàm propriũ dogma. Quòd verò hic præsens labor mihi institutus nõ fuerit, vt ostẽtarẽ ingeniũ, aut vigiliis hoĩm doctis. detraherẽ, sed vt publicæ vtilitati cõsulerẽ, rationẽq; redderẽ diligẽtiæ pręstitæ in cõdẽda Galeni Epitome, nouit quidẽ ille, qui animorũ est scrutator, Deus Opt. M. Porrò vt id ipsum, qcqd est, lucubrationũ

ſub ſplendore nominis tui publicarẽ, me occaſiones variæ impulerũt, Vir Clariſsime: vna & potiſsima, vt amor ille ardẽtiſſimus, qui inter Excellentiã tuam, & Illuſtriſsimum atq; Reuerend. D. D. Franciſcũ à Bouadilla & Mendozza, Cardinalẽ Caurien. patronumq́; meũ non vulgarẽ, indies magis magisq́; cõſolideſcit, ex hoc argumento innoteſceret cũctis: ſimulq́; obſeruãtia mea in vtrunq;. Secũda, vt vitilitigatorum calũniis ianuã detrectandi obſerarem, tutumq́; à rabidorũ me canũ morſibus redderẽ. Quippe veriſimile eſt, quæ tibi ſemel ſunt cõſecrata, tuæq́; protectioni ſe crediderũt, ea veluti in aſylo quodã intemerato iam eſſe: quum nemo futurus ſit adeò temerarius aut impudẽs, vt iſtã amplitudinem tuã, autoritatemq́; ſummã, nõ reuereatur. Tertia quę me illexit, cauſa eſt qua ducti ſtudioſi omnes, te vnicũ protectorem Muſarũ, doctorũ hominũ patrẽ, promotoremq́; ingenuarũ omniũ diſcipli narũ, nũquã nõ cõfitentur, nẽpe multiiuga iſta eruditio tua, feruẽtiſsimusq́; ſapiẽtiæ amor, claritudini generis, prudẽtiæ, humanitatiq́; cõiunctus: vt interim ſingularẽ ad omnia ingenij tui promptitudinẽ, admirãdamq́; in agẽdis rebus dexteritatẽ prætereã. Quas inſignes virtutes (quæ rarò in

vnum

vnũ cõſpirant) in te cumulatas ſentiẽs Carol. V. Cæſar, indies cõcredit tibi maxima molimina rerũ: quæ adeò feliciter cõſilio & ſapiẽtia tua illi cõfecta & expedita reddis, vt diuino planè ingenio præditus eſſe videaris: id quod etiãnum prædicare de te Illuſtriſſ. hic Venetorũ Senatus nõ deſinit: qui & lugeret hodie receſſum tuũ, niſi Illuſtriſ. vir D. D. Ioãnes à Mẽdozza, aureum quoddam tuarũ virtutũ exẽplar, dolorem ipſum foueret, leniret, ac mitigaret. Siquidem in eo præſente (cui eadẽ mẽs, idẽ candor, prudẽtia eadẽ, vt cognomẽtũ idẽ) deſyderiũ tui abſentis exatiãt: in eo ſuos oculos paſcũt: qui tãta cũ grauitate, ſapiẽtia, fide, ſtudio, atq; ſedulitate fungitur Oratoris munere, vt minimè iã ipſe hinc abeſſe videaris. Ne igitur diutius, quàm par eſt, ſuſpẽſam tuã amplitudinẽ teneã, en offerimus tibi, vir Illuſtr. in Galeni interpretes haſce noſtras Annotationes. Quas quidẽ ſi tuo patrocinio dignatus fueris, ipſę quidẽ omnes inſultus atq; incurſiones reſpuent: ego verò tuã ſemper Excellentiã ſuſpiciã: quã in multos annos Chriſtus nobis ſeruet incolumẽ. Venetiis ex ædibus Illuſtr. viri, D. D. Ioannis Furtadi à Mendozza, apud Venetos Cæſarei Oratoris ſplendidiſsimi. Decimo Cal. Decemb. 1548.

AD LECTOREM.

ADuertas candide Lector, numerum illum qui paßim occurret tibi in nostris Annotationibus, referre paginas eorũ Galeni Commentariorum, qui in octo classes digesti, repurgatique ab innumeris mẽdis, anno 1541 sub formula octaua fuerunt Venetijs excusi, idque industria clarißimi & eruditißimi viri, Victoris Trincauelij, Doct. Med. necnon diligentia Augustini Ricci, Medici etiam absolutissimi.

ANNOTATIONES IN GALENI INTERPRETES, Andrea Lacuna Secobiensi, Doct. Med. Milite Sancti Petri, autore.

*

SECTIONIS PRIMAE, PARTE PRIMA,

Pagina prima.

*

STATIM IN AVspicijs *libelli de Exhortatione ad artium liberalium studia, sic habet dictio Galeni :* Εἰ μὲν μηδόλως λόγου μέτεστι τοῖς ἀλόγοις ὀνομαζομένοις ζώοις, ἄδηλόν ἐστι. Ἴσως γὰρ, εἰ καὶ τοῦ μὴ κατὰ τὴν φωνὴν, ὃν καὶ προφορικὸν ὀνομάζουσιν, ἀλλὰ τοῦ γε τὴν ψυχὴν, ὃν ἐνδιάθετον καλοῦσι, μετέχει πάντα, τὰ μὲν μᾶλλον, τὰ δ' ἧττον. *Quæ sanè sic vertit Erasm. Roterod. An animantia* quæ

quæ dicuntur bruta, prorsus expertia sint rationis, nondum satis liquet. Fortaßis enim, tametsi non habent eam rationem, quæ iuxta vocem intelligitur, nobiscum communem, quam vocant enuntiatiuam, certè eam quæ secundum animam accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiscum communem omnia, licet alia magis, alia minus, &c. Constat itaq; τ ἐνδιάθετον λόγον, ab Erasmo verti, rationem affectuum capacem: quum potius internā, siue intus delitescentem, vertendū fuisset. Siquidem eo in loco Galenus, tam brutis, quàm ipsis hominibus, rationem videtur tribuere, hoc interiecto discrimine, quòd illorum quidem ratio sit muta, reconditáq; (id quod est ἐνδιάθετος λόγος) nostra autem explicetur sermone. Cuius opinionis videtur etiā fuisse Fabius Quintilianus, qui secundo suarū Institutionum libro sic disserit: Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatórq; mundi, nullo magis hominem separauit à cæteris, quæ quidē mortalia essent, animalibus, quàm dicendi facultate. Et paulò pòst: Sed ipsa ratio, nec tam nos iuuaret, nec tam esset manifesta in nobis, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quàm ntellectu m & cogitationem quandam, videmus. Nam & moliri

moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quinetiam reponere alimenta in hyemem, opera quædam nobis inimitibilia, qualia sunt cerarũ, ac mellis, efficere, nonnullius fortè rationis est. Sed quia carent, sermone, quę id faciũt, muta atque irrationalia vocantur. Deniq; homines, quibus negata vox est, quantulũ adiuuat animus ille cælestis? Quare si nihil à Diis oratiõe melius accepimus, quid tam dignũ esse cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quàm quo ipsi homines cæteris animalibus præstant? *Hæc Fabius. Non defuerunt tamen qui rationem illam enuntiatiuam etiam brutis tribuerent. Quippe inter Græcos Porphyrius libro* περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, *duplicem, vt Galenus & ipse, rationem exprimit. Quarũ vnam quidem vocat* προφορικὸν λόγον, *hoc est, rationem vocalem: alteram verò,* ἐνδιάθετον, *quod est, reconditam, siue, vt nos vertimus, intus delitescentem. Ac sanè illius rationis primo loco assignatæ, participes etiam esse feras pronuntiat. Neq; enim mirandum esse, si earũ sermonem minimè percipiamus, quũ nec Persarũ, nec Scytharum idioma vllus Græcus intelligat. Huic sententiæ subscribere videtur palàm etiã Lactãtius Firmianus, libro de Ira Dei, sic dissserens:* Nam cætera, quæ videntur hominis

esse.

esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius homini sermo est: tamen & in illis quædã similitudo sermonis. Nã & dignoscunt inuicem se vocibus: & quũ irascuntur, edunt sonum iurgio similem: & quum se ex interuallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur incõditæ, sicuti & illis fortasse nostræ: sed ipsis, qui se intelligũt, verba sunt: deniq; in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant. *Et paulò pòst*: Quid tam homini proprium, quàm ratio, & prouidentia futuri? Atqui sunt animalia quæ latibulis suis diuersos & plures exitus pandant, vt si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis. Quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio. *Ac postea subdit*: Quòd si horũ omniũ, quæ adscribi homini solẽt, in mutis quoq; deprehẽditur similitudo, apparet solã esse religionẽ, cuius in mutis nec vestigiũ aliquod, nec vlla suspicio inueniri solet. *Huc pertinẽt, quæ Pli. li. x. cap. xxviij. Naturalis historiæ ait de luscinijs*: Certant inter se: palámq; animosa contentio est. Victa morte finit sæpe vitam, spiritu prius deficiente, quàm cantu. Meditãtur aliæ iuniores, versúsq; quos imitẽtur, accipiunt.

piunt. Audit discipula intentione magna, & reddit: vicibúsque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædã repræhensio. &c. *Recedere tamen hæc iam ab instituto videntur: cuius prorsus eram oblitus, nimirum delinitus historiæ naturalis dulcedine, perinde ac si loton arborem, suauissimã quidem illam, gustassem. Galenus itaq; τὸν ἐνδιάθετον λόγον quodammodo opponit τῷ προφορικῷ: ita vt illa quidem, quæ sola inest brutis, sit ratio occulta, reconditáq;: hæc autem, qua nos ipsi, veluti auctario quodam, præditi sumus, illustretur sermone. Quòd autẽ hæc ita habeant, non alium testem, sed Galenum producamus in medium, qui se ipsum interpretatur, cõmentario primo in librum Hippocra.* κατ' ἰητρεῖον, *sic differens:* Τῶν αἰσθήσεων ἁπάσαις τὴν γινωμένην ἐφεξῆς ἔταξεν, ὅπερ ἐστὶν, τὴν διάνοιαν. ἣν τε καὶ νοῦν, καὶ φρένα κοινῶς οἱ ἄνθρωποι καλοῦσιν. ἐπειδὴ καὶ τὴν κατὰ φωνήν ἐστι τὶς λόγος. ἀφορίζοντες οὖν τοῦτον τοῦ προειρημένου λόγου οἱ φιλόσοφοι, καλοῦσιν ἐνδιάθετον, ᾧ λόγῳ τά τε ἀκόλουθα, καὶ τὰ μαχόμενα γιγνωσκομένοις ἐμπεριέχεται, καὶ διαίρεσις, καὶ σύνθεσις, καὶ ἀνάλυσις, καὶ ἀπόδειξις, ὅσα τἄλλα τοιαῦτα. *Quæ omnia fideliter simul & eleganter à Victore Trincauelio, viro citra cõtrouersiam doctissimo, sic sunt in sermonem Latium conuersa: Post omnes sensus statim intelligentiam col*

loc

locauit, hoc est, cogitationem, seu ratione͂, quam homines communiter mentem & intellectum nominare consueuerunt. At verò quoniam & in voce quædam ratio reperitur, ideo Philosophi, vt hanc ab illa discernerent, interiorem hanc appellarunt, qua & consequentia, & repugnantia cognoscimus: quibus diuisio, compositio, resolutio, ac demonstratio, cæteráq; id genus co͂præhenduntur. Atq; hactenus circa ha͂c primam annotationem: quam pertractaui, minimè quidem vt suggillarem Erasmu͂, qui tam illustrauit bonas artes & disciplinas, quàm qui maximè, sed vt Galeni mentem exactè illius studiosis exponerem: id quod videor abundè iam præstitisse.

Libro de optima secta. Pag. 57.

I*Vnius Paulus vertit: Et ægrotantes no͂ multo in conficiendis cibis labore indigere. Græcè habetur,* καὶ ὅτι οἱ νοσοῦντες δέονται τῶν μὴ πολλῆς κατεργασίας δεομένων τροφῶν. *Hoc est, Et quòd ægri egea͂t cibis, qui non admodu͂ difficulter coquantur: vel qui longam elaborationem non postulent.*

Pag. 58.

I*Vnius Paulus. Ab huiusmodi præceptu͂ nascitur, liquidi cibi omnes, febricitantibus bene faciunt. Græcè legimus,* ἐπὶ τούτοις γίγνεται τὸ θεώρημα τοῦτο. αἱ ὑγραὶ διαῖται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι. *Quod est, Ex his tale*

oritur:

oritur theorema, Cibi humidi omnibus febrientibus conferunt.

Pag. 61.

I*Vnius Paulus. Aiunt enim, antequàm adhibendorum remediorum vires quis didicerit, nihil aliud vtile ab experientia prouenire. Græcæ legitur,* φᾶσι γὰρ πλὴν τοῦ τὰς δυνάμεις τῶν προσφερομένων ἐκμαθεῖν ἕτερον οὐδὲν χρήσιμον ἐκ τῆς πείρας παραγίνεσθαι. *Quod est, Aiunt enim, præter hoc quòd facultates exhibendorũ per eam cognoscuntur, nihil aliud vtile ab ipsa experientia accedere, &c. Fefellit autem interpretem, vocularum* πλὴν, καὶ πρὶν, *affinitas atque similitudo.*

Pagina 86.

I*Vnius Paulus. Quandoquidem non ab effectis, sed ab efficientibus (quemadmodum & ipsi profitentur) indicationes accipiendæ sunt. Græcè legitur,* οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν ἀποτελούντων, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ἀποτελουμένων, ὡς καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦσι, χρὴ τὰς ἐνδείξεις γίγνεσθαι. *Quæ cõtrario modo vertenda erant, sic scilicet. Non enim ab efficientibus, sed ab effectis (quemadmodum & ipsi fatentur) indicationes sumendæ sunt.*

Pagina 95.

I*Vnius Paulus,* τὰς κοινότητας *semper communia vertit, non communitates, vt sanè vertẽdum est, si velimus veram Galeni phrasim atque sententiam exprimere.*

Lib. de constitutione artis Medicæ, ad calcem libri.

BArptolemæus Syluianus vertit, Quod labefactatur. Aldinus codex habet, ὅτι διαφθείρεται, hoc est, quia corrumpitur. Basiliensis autem, ὅτι διαφορεῖτ. & rectè quidem: quod vertendum est, quia digeritur & resoluitur.

Lib. I. de Elementis. Pag. 190.

LEonicenus. Vel secundum substantiā, quibus contigit esse elementa. Cui versioni suffragantur cæteri interpretes. Græcè tamen legitur, ἢ κατὰ τὰς οὐσίας, αἷς συμβέβηκεν αὐτοῖς εἶναι στοιχείοις. Hoc est, An secundum substantias, quarum ratione contigit ipsis esse elementis. Cæterùm loco αἷς crediderim esse legendum ἅς: nisi quis fortè dicat, Galenum vti Latina phrasi, vtpote diu in vrbe Roma versatum.

Lib. III. Pag. 285.

LInacer. Vt si carnosi quis iuuenis in frigida lauatione corpus eius ex accidenti, nō ex propria potestate calfacere dicat. Græcè, οἷον εἰ τὴν ψυχρολουσίαν ἐπ᾽ εὐσάρκου νέου θερμαίνειν τις φαίη τὸ σῶμα κατὰ συμβεβηκὸς, οὐκ οἰκείᾳ δυνάμει. Quod sonat, Vt si quis dicat frigidam lauationem calfacere corpus carnosi iuuenis, ex accidenti, non facultate propria.

Lib.

Lib. de inæquali intemperie.

Pag. 314.

LInacer. *Calfit quidem sanguis aliquando vniuersus, quicunque non naturalē illum calorem, qui ex humoris putredine est obortus, recepit. Græcè legitur.* ἐκθερμαίνεται μὲν ἐνίοτε σύμπαν ἤδη τὸ αἷμα, καὶ δέδεκται τὴν παρὰ φύσιν ἐκείνην θερμασίαν, τὴν ἐκ τῆς σηπεδόνος τῶν χυμῶν ὁρμηθεῖσαν. *Quod vertimus, Calfit quidem sanguis quandoque vniuersus, recipitque illum calorem præter naturam, qui ab humorum putredine proficiscitur.*

Pag. 318.

LInacer. *In qua alterum sit comprȩhēsum. Græcè habetur.* ἐν ᾧ θάτερον οὐχ ὑπάρχει. *hoc est, in quo etiam non adsit alterum.*

Lib. de Animæ morum, & corporeæ temperaturæ mutua consequutione.

CAP. III.

BArptolemæus Syluianus. *At incorporeæ substātiæ, quum per seipsa esse posśit, neq; qualitas aut species corporis sit, differētiā nullā intelligo. Cui versioni alij subscribūt interpret. Græcus tamē codex habet in hūc modū:* ἀσωμάτου δ' οὐσίας, αὐτῆς καθ' ἑαυτὴν εἶναι δυναμένης, οὐκ οὔσης ἢ ποιότητος, ἢ εἴδους σώματος, οὐδεμίαν νοῶ διαφοράν. *Qđ sic sanè vertendū est: Incorporeæ verò substantiæ, quæ ipsa quidē per se consistere valeat, nec corporis qualitas*

aut ſpecies ſit. equidem nullam differentiam inuenio. &c. Quibus nimirum verbis conuellens opinionem Platonis, qui animam conſtituebat incorpoream quandam ſubſtantiam, & quæ poſſet per ſe ſubſiſtere, conatur Galenus oſtendere, illam eſſe aut qualitatem, aut aliquam ſpeciem corporis: quum alioqui, ſi eſſet quid alienum & abſtractum à corpore, neutiquam illam diuiſionem admitteret, qua in tres ſpecies, ſeu differentias, vel à Platone ipſo diſtinguitur.

Lib. III. De Naturalibus facultatibus.

Pagina 444.

L*Inacer. Siquidem interna arteriæ tunica. Græcè legitur, ὁ γὰρ ἔνδον χιτὼν τῆς γαστρός. Quod eſt, Etenim interna ventriculi tunica.*

Lib. I. de Motu muſculorum.

Pagina 504.

C*Odices Latini ſunt deprauati: in quibus habetur, At reliquũ, & quartũ, & motũ tranſgreßi, cõſyderemus &c. Græcè nanq; habetur,* Ἐπὶ τὴν λοιπὴν καὶ τετάρτην μεταβάντες κίνησιν, ἐπισκεψώμεθα καὶ τὸν ταύτης τρόπον. *Hoc eſt, Ad reliquum autem & quartũ motum tranſgreßi, modum ipſius expendamus.*

Libro ſecundo. Pag. 521.

L*Eonicenus. In quacunque autem talium conſtituens membrum, muſculis*

circa

circa ipſum tonicè agentibus commiſeris, figuram ſic ſeruant, adeò vt ſedentes quidam dormiuerint. &c. Græcè legimus, ἐν ᾧ γοῦν αὐτῶν τοιούτων καταστήσας τὸ κῶλον, τοῖς τονικῶς ἐνεργοῦσιν ἀμφ' αὐτὸ μυσὶν ἐπιστρέψῃς τὴν φυλακὴν τοῦ σχήματος, ᾧ δὲ φυλάττουσιν, ὥστε καὶ καθήμενοι πολλάκις, ἐκοιμήθησάν τινες. Quod ſic vertimus. In quacunque enim talium conſtituens membrum, ſi muſculis circa ipſum tonicè agentibus commiſeris figuræ cuſtodiam, adeò illam tuentur, vt ſedentes ſæpe quidam dormiuerint.

Pag. 522.

LEonicenus. Itaq; & ſupinum iacêre, & hiare ſtertoris, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignauiæ ſunt ſigna. Græcè, καὶ τὸ χάσκειν οὐκ ἄνευ τοῦ ῥέγχειν. Quod eſt, Et hiare cum ſtertore.

Pag. 524.

LEonicenus. At (dicet fortè quiſpiam) non aſſequimur mente ea fieri: nam nec palbrarum motum ſemper. &c. Quo in loco Galenus reſpondet ad obiectionem tacitam. Ac proinde ita debemus legere. At (dicet fortè quiſpiam) non aſſequimur mente ea fieri. Neque etiam (ſupple, dicemus nos) palpebrarum motui ſemper adhibes mentem: &c. Ac ſic ſanè ſententia illa euadit perſpicua. Tu interim conſule Græcum exemplar.

Lib. primo de ſemine. Pag. 557.

IAnus Cornarius. Attractoriam quidem familiariũ, per quã attracturũ, & alteraturũ, alimentúmq; ſibi facturũ erat: expulſoriã autem alienorũ & ſuperfluorũ. Sic autẽ habet habet Græcus vetuſtus codex: nam impreßi ſunt deprauati. ἑλκτικὴν μὲν τῶν οἰκείων· ᾗ δὲ καθέξειν τε καὶ ἀλλοιώσειν ἔμελλε. καὶ ᾗ τροφὴν ἑαυτῷ ποιήσασθαι· τῶν ἀλλοτρίων δὲ καὶ περιττῶν ἀποκριτικήν. *Quod eſt vertendũ, Attractricẽ quidem, familiariũ, & qua etiã retenturum erat, quáq; alteraturũ, & ſibi nutrimentũ facturũ: ac deniq; alienorũ ſuperfluorũq; excretricẽ. Galenus ſiquidẽ impræſentiarũ quatuor illas facultates, maximè inter ſe diſtinctas, adſcribit ſemini: nec vult ipſum per attractricẽ, aut alterare, aut ſibi alimentum cõficere: id quod dictu eſſet planè ridiculum: quum nimirũ ſingulis earum facultatum ſit ſuum munus proprium, nulláque alterius operationem vſurpet. Attractricis quippe eſt attrahere: retentricis retinere & conſtringere: alteratricis alterare & concoquere: expultricis denique aliena & ſuperuacanea expellere: id quod ſatis ſupérq; à Galeno demonſtratum videtur, cùm in alijs locis, tum vel maximè in Commentarijs de Naturalibus facultatibus.* Pag. 567.

COrnarius (cui cæteri interpretes ſuffragãtur) vertit in hunc modum: Et ob id ſangu

guini facillimum est carnem fieri: difficillimum verò membranæ, & neruo, & venæ, & arteriæ, & tunicæ. Græcè legitur, καὶ διὰ τοῦτο τῷ αἵματι ῥᾷστον μὲν γίνεται σαρκὶ, χαλεπώτερον δ' ὑμένι, καὶ νεύρῳ καὶ φλεβὶ, καὶ ἀρτηρίᾳ, καὶ χιτῶνι. *Quod est vertendum, Idcirco facillimum quidem est sanguini fieri carnem: difficilius autem membranam, & neruum, & venã, & arteriam, & tunicam. Docet quippe eo in loco Gal. ipsas particulas solidas vix posse confici ex sanguine: carnem autem facillimè: quum nimirum illæ quidem, à semine: hæc autem à sanguine, originem nanciscantur.*

Pag. 582.

COr. Continetur autem in testibus seminarius humor. Et paulò pòst. Trahũt igitur etiam testes seminarium humorem. Vtrobique autem Græca exemplaria habent ὀῤῥῶδες ὑγρὸν *hoc est, humor serosus: qualis certè genitura ipsa existit, & præcipuè quæ in sinistrum descendit testem: quum videlicet sinistrum vas seminarium oriatur ab emulgẽte vena, quæ serosissimum sanguinem vehit ad renem sinistrum, vt illic expurgetur.*

Lib. II. de Semine. Pag. 590.

COrn. Posse autẽ Hipp. etiam opinatus est, ex vtrisque permistis vnum perfectum semen fieri: etiam si hoc ita esse impoßibile sit. Græcè legimus, δύναται δὲ καὶ ὡς ἱπποκράτης

ὑπελάμβανεν, δὲ ἀμφοῖν κεραννυμένων ἓν τέλεον γίγνεσθαι σπέρμα. Καί τίν' ἦν δυνατὰ, εἰ μὴ ταῦτα? Quod nos vertimus, Poteſt autem (quemadmodum exiſtimauit Hippocrates) ex ambobus miſtis, etiam vnum ſemen perfectũ fieri. Et quæ obſecro poſsibilia eſſent, ſi hæc talia non forent? Itaq; non refellit opinionem Hippocratis, ſed illã potius (quod ſolet ſemper) ceu Dei oraculum, & recipit, & amplexatur.

Pag. 602.

CORnarius. Non tamen impoſsibile eſt animo concipere tale temperamentũ animalis corporis, vt perfectũ animal generet, abſque alterius commiſtione. Græcè autem legitur, ὡς γεννῆσαι ἀτέλεον, hoc eſt, vt imperfectum generet. Quam lectionem probandam eſſe indicat ſequens dictio, quæ ita habet. Animal tamẽ perfectum in ſeipſo concipere, verè difficile eſt. Aduertat item candidus lector, paſsim in commentariis de ſemine, Cornarium τὸ θῆλυ, quod eſt in Græco, quódque fœmineũ ſignificat, vertere nobis, muliebre.

Pag. 620.

COrnar. Apparet ex his quatuor vaſis, quæ appellatum vmbilicum, ſimúlq; meatum iuxta vrachon, conſtituunt. &c. Græcè legimus, φαίνεται γὰρ τῶν εἰρημένων τεττάρων ἀγγείων, ἃ κατὰ τὸν ὀνομαζόμενον ὀμφαλὸν, ἅμα τῷ κατὰ τὸν οὐραχὸν πόρῳ συνίστησιν, &c. Quæ

ſon

ſonant. Apparet enim ex his quatuor vaſis, quæ iuxta appellatum vmbilicum, vnà cum meatu, qui ad vrinaculum eſt, coëunt.

Libro de inſtrumento odoratus.

Pag. 654.

L*Vdouicus Belliſarius. Eáq; quæ de foraminibus dixit aperiri ſolitis, quamquàm non intelligentiã fugiunt, &c. Græcus codex habet.* ἀλλὰ κὴ τὸ λεγόμενον ὑπ' αὐτοῦ περὶ τῶν ἀνακαλυπτομένων πόρων, ἀδύνατον μὲν οὐκ ἔστι. *Quæ ita vertenda ſunt. Cæterùm quod ab eo dictum eſt, de reſeratione meatuum, impoßibile quidem non eſt.*

Sectionis primæ parte ſecunda.

Lib. II. de Anatomicis adminiſtrationibus. Pag. 64.

A*Ndernacus. Quòd vngues igitur ex prædictis omnibus coaleſcant. Græcè,* ὅτι μὲν οὖν συμπεφύκασιν τοῖς εἰρημένοις ἅπασιν οἱ ὄνυχες. *Hoc eſt, Quod igitur prædictis omnibus ipſi vngues accreſcant.*

Lib. III. Pag. 76.

A*Ndernacus. Amplæ magnitudinis porrigi neruos diximus. Græcè,* ἡ φορὰ τῶν μεγάλων ἐστὶ νεύρων, *hoc eſt. Magni feruntur nerui.*

Pap. 78.

A*Ndernacus. Detectis enim plurimis iam brachij partibus, reliquos duos neruos.*

propter internam ipsius regionem, conspicis, in quam etiã prædicti tres paulò inferius, quàm tertius neruus est, inferuntur. Græcè legitur, γεγυμνωμένων γάρ σοι τῶν πλείστων μερῶν ἤδη τοῦ βραχίονος, ἐπισκέπτου λοιπὰ δύο νεῦρα κατὰ τὴν ἔνδον αὐτοῦ χώραν (ἐν ᾗ καὶ τὰ προειρημένα τρία τὴν ἐπίβασιν ἔχειν) ὀλίγῳ τινὶ κατωτέρω τοῦ τρίτου νεύρου. *Quod est, Nudatis enim iam plurimis brachij partibus, reliquos duos neruos iuxta ipsius regionem internam (in quam etiam prædicti tres inferuntur) expende, paulò inferiores, quàm situs sit tertius neruus.*

Pag. 90.

ANdernacus. Manu autẽ immissa intercipienda est. Græcè, καθεῖσθαι δὲ τὴν χεῖρα, καὶ διαλαμβάνεσθαι. *Hoc est, Demitti autem manũ, intercipíque: éstque subaudiendum oportet. Vult siquidem, vt manum liberè demittamus, ac si pendulam excipiamus vinculo, ad hoc vt venæ exactè promineant: id quod hodie etiam in quotidiano est vsu.*

Pag. 102.

OMnia Latina exẽplaria ob typographorum inaduertentiã sunt deprauata. Habent enim, Mox alia penitus grandis: quum, Penitius, legendum sit: quandoquidem Græcè legitur διὰ βάθους μᾶλλον.

Lib. VI. Pag. 175.

ANdernacus. Quam posibile est solius periton

ritonæi facere. Græcè, ἣν οἷόν τε τῷ περιτοναίου μόνου ποιεῖσθαι. *Quod equidem verterem. Quã possibile est à solo peritonæo fieri. Constat nanque eam futuram abdominis à nerueis illis peritonæi filamentis conflari.*

Pag. 185.

ANdernacus. *Gulosis verò & timidis inest magnum iecur & multifidum, aliter quidem affectis. Græcus codex excusus habet,* τοῖς μέντοι λίχνοις, καὶ δειλοῖς μέγα τ' ἐστὶ, καὶ πολυσχιδὲς ἧπαρ, ἐναντίον πρὸς δὲ τοῖς ἐναντίοις. *&c. Sed in quodã antiquissimo legimus,* ἑτεροῖον δὲ τοῖς ἐναντίοις. *Hoc est. Diuersum autem contrarijs. Atq; ita legendum esse nemo tam obtuso ingenio est, vt non videat.*

Pag. 187.

ANder. *Hoc autem sub tenui tunica aperiri euidenter apparet. Græcè,* ἐναργῶς δὲ ὁρᾶται τοῦτο διακονούμενον ὑπὸ λεπτῷ τῷ χιτῶνι. *Quæ sic verterem, Perspicuè autem hoc sub tenui comprehensum tunica apparet.*

Lib. VII. Pag. 197.

ANder. *Non tamen ipsi cordis corpori pericardios hæc tunica connexa est, verùm in alijs omnibus haud parua quædam regio intermedia est, motui cordis accommodata, ad basim ipsius, quæ, vt est expositum, orbicularis est, prodeuntibus ex ea vasis connexa. Græcè*

legimus, οὐ μὲν αὐτῷ γε τῷ σώματι τῆς καρδίας ὁ περικάρδιος οὗτος χιτὼν συμπέφυκεν, ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν οὐ μικρά τις ἐστιν ἡ μεταξὺ χώρα, διὰ καρδίας ἀνακειμένη κινήσεις. κατὰ δὲ τὴν ἑαυτοῦ βάσιν, ἥ τις (ὡς εἴρηται) κύκλος ἐστι, τοῖς ἐκφυομένοις αὐτῆς ἀγγείοις συμπέφυκεν. *Id quod vertimus, Non tamen ipsi cordis corpori pericardios hæc tunica connexa est: verùm circa alias quidē omnes illius partes, haud parua quædam regio intermedia est, motui cordis accommodata: ad basim verò sui ipsius, quæ sanè (vt iā exposuimus) est circulus, exortis ab illo vasis annectitur.*

Libro octauo. Pag. 232.

A*Ndernacus. Quemadmodum etiam si in contractione thoracis per sectiones inaniti aëre extrinsecus illapso, eas obturaueris, respirabit confestim animal. Græcè.* ὥσπερ γε καὶ ἐὰν ἐν τῇ συστολῇ τοῦ θώρακος ἐκκενωθέντος, διὰ τῶν τομῶν τοῦ παρεμπεπτωκότος ἔξωθεν ἀέρος, φράξῃς αὐτὰς, ἀναπνεύσει τε καὶ φωνήσει παραχρῆμα τὸ ζῶον. *Quod sic clarius vertitur, Quemadmodum si in contractione thoracis inaniti aëre per sectiones elapso, obstruxeris ipsas sectiones respirabit, vocémque edet confestim animal.*

Pag. 241.

A*Ndernacus. Nam intercostalibus musculis vehementer hoc tempore protensis.*

Græ

Græcè autem legitur προστιλλομένων: *hoc est, contractis, aut concidentibus.*

Pag. 248.

A*Ndernacus. Quæ manifestam sui inspectionem efficit. Græcè legitur,* σαφῆ τὴν διὰ αὐτοῦ θέαν ἐργαζόμενος. *Hoc est, Manifestam per se inspectionẽ faciens. Quibus verbis Galenus significat, vbi per anatomẽ costas succingens membrana, sola & simplex relicta fuerit, nempe liberata à costis & musculis, facilè nos per ipsam, ceu per cornu quoddam, aut vitrum, inspecturos interna viscera.*

Ibidem.

A*Ndernacus. At manifestior adhuc speculatio fit, cum in diaphragmate nudato peritonæi vertex auellitur. Græcè,* σαφεστέρα δὲ ἔτι τοῦδε γίγνεται θέα κατὰ τὸ διάφραγμα γυμνωθὲν, ἀποδερομένης τῆς κορυφῆς τοῦ περιτοναίου. *Nempe, Manifestior autem adhuc fit speculatio per diaphragma nudatum, vbi peritonæi vertex auulsus fuerit.*

Lib. IX. Pag. 251.

A*Ndernacus. Dum igitur membranæ cerebri plexus oßibus quæ ambiunt detegis, subinde quippiam abrumpitur. Græcus codex habet,* ἐν αὐτῷ μὲν οὖν τῷ γυμνοῦσθαι τῶν περικειμένων ὀστῶν τὰς διπλοὰς τῆς μήνιγγος, πολλάκις ἀποῤῥήγνυταί τι καὶ διασπᾶται. *Quod est, Interim enim dum exuuntur à circum*

cumiectis oßibus ipsius meningis plexus, sæpenumero quippiam abrumpitur, diuellitúrque.

Pag. 253.

A*Ndern. Atque ipsius vsum simul inspiciendo nudabis. Græcè legitur,* καὶ τὰς χρείας αὐτοῦ ἅμα τῇ θεᾷ γυμνωθείσης: *qui locus est deprauatus: planéque constat, non* γυμνωθείσης, *sed* γνωσθείσης, *legendum esse: vt reddatur ita Galeni sententia: atque ipsius vsum simul inspiciundo exploraueris.*

Lib. IIII. de vsu particularum.

Pag. 404.

N*Icolaus Regius. Cum autẽ nulla iam superſit. Græcè,* ὄντος δ' οὐδενὸς ἔτι. *Quod est, Nulla autem iam superſit. Quam lectionem si non recipias, tota Galeni sententia abrumpitur, vixque intelligi poterit.*

Pag. 414.

N*Icolaus Reg. Ad ilia. Græcè legitur,* κατὰ τὰς λαγόνας: *quod est, per iliũ regionem.*

Pag. 428.

N*Icolaus Reg. Et paulò minus alba. Græcè habetur,* καὶ μικροῦ δεῖν, λευκή. *Hoc est, Et parum abest, quin alba.*

Pag. 403.

N*Icolaus Regius. Quum tamen neque intestinorũ quoduis coquendi alimenti, neque venæ sanguinis gignendi gratia extiterint. Græcè legimus,* γέγονε δ' οὔτε τῶν ἐντέρων οὐδὲν ἕνεκα

ἔνεκα πέψεως, οὔτε φλέβες αἱματώσεως. Quod est vertendum, Neque verò vllum intestinorũ gratia concoctionis est conditum, neque gratia sanguificationis, vlla venarum.

Pag. 434.

NIcolaus Regius. In transuersos & rotundos villos dissoluendam. Vbi Græcè legitur ἀναλυόμενον. Hoc est; resolutam.

Lib. v. Pag. 447.

OMnes Latini codices sunt mendosi: in quibus legitur. ne quod inferiorum intestino externo aliquando indigeret auxilio. Est siquidem legendum, intestinorum.

Lib. VII. Pag. 477.

NIcolaus Reg. Quod verò deinceps est, simul cum particulis, quæ ipso thorace cõtinentur, agemus satius esse scribere arbitrati, in hunc librum distulimus. Græcè legitur, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ δὲ, τῇ τῶν ἐν θώρακι μορίων ἐξηγήσει συναναγράφειν ἄμεινον εἶναι νομίζοντες, εἰς τὸν δὲ τὸν λόγον ἀνεβαλόμεθα. Quod sic sanè vertendum est, Quod verò reliquum erat, satius esse putantes, si id inter eas partes conscriberetur, quæ in thorace ambiuntur, ipsum in præsentem commentarium distulimus.

Pag. 479.

NIcolaus Regius. Concentum esse respirationis. Græcè habetur, τὸν αὐτὸν ῥυθμὸν. hoc est, eundem concentum.

Pagina 481.

NIcolaus Reg. *Molles enim quum sint hi, ac tenues, longóq; interuallo secundũ rectitudinẽ tendantur, maximámq; præterea particulã à se ipsis pendentẽ, ventriculum scilicet, habeant, quem cibo compleri subinde oportebat, ab ipsius tum mole, tum pondere tendi aßiduè, facilè disrũperẽtur.* Græcè habetur, μαλακὰ γὰρ ὄντα ταῦτα, καὶ λεπτὰ, καὶ διὰ μακροῦ κατ' εὐθὺ τεταμένα, καὶ μέγιστον μόριον ἐξηρμένον αὐτῶν ἔχοντα, τὴν γαστέρα πληρώσει σιτίων ἀνακείμενον, ὑπὸ τοῦ ταύτης ὄγκου τε καὶ βάρους ἀεὶ κατατεινόμενα, ῥᾳδίως ἂν ἀποῤῥήγνυντο. Quæ sic nobis transferenda vidẽtur, *Hi enim molles ac tenues quum sint si etiã longo interuallo secundum rectitudinẽ tenderentur, maximam præterea particulã à seipsis pendentem habẽtes, ventriculũ scilicet, quẽ subinde cõpleri cibo oportebat, certè ab ipsius tum mole, tum pondere aßiduè tensi, facilè disrũperentur. &c.* Nã quòd ij nerui minimè secundũ rectitudinẽ producantur, indicat sermo superior, vbi Gal. sic ait: *Adde huc, quòd neruis qui à cerebro in ventriculũ iuxta stomachum deferuntur, obliqua via tutior multò erat futura, quàm recta.*

Pagina 492.

NIcolaus R. *Quem sanguinem appellant.* Græcè habetur, ἣν αἱματικὴν ὀνομάζουσιν, hoc est, *quem sanguificum vocant.*

Pag. 511.

NIcolaus Reg. *Post autem id ipsum. Græcè* ὑπάρχει αὐτό. *Ceterùm quum τὸ αὐτὸ nihil aliud quàm spiritum referat, nos certè, Quem posteæ, vertimus.*

Pag. 532.

NIcolaus Regim. *Per anastomosin applicuisset. Græcè legitur* ἀναστομώσασα. *hoc est, aperuisset.*

Lib. VII. Pag. 545.

NIcolaus Reg. *Si omni natura cartilago fuisset nudata. Græcè habetur*, εἰ φύσεως γυμνὸς ἦν ὁ χόνδρος. *Sed legendum est* φυσικῶς, *vt vertamus. Si cartilago naturaliter esset nudata.*

Lib. IX. Pag. 635.

NIcol. Reg. *Quæque in ea est, membranam pericranion Græcè*, καὶ τὸν κατ' αὐτῆς περικράνιον ὑμένα. *Quod vtique vertendum erat. Quæq; ex ea oritur pericranion mēbranam. Nemo siquidem nescit ex crasso cerebri inuolucro, per cranij suturas elapso, pericranium ducere originem.*

Pag. 637.

NIcolaus Reg. *Atque ita rursus superiori parte diuisis vnitionis ipsorum. Græcè*, καὶ οὕτω πάλιν σχιζομένων, ἐξόπισθεν αὐτῶν τῆς ἑνώσεως. *Quod nos vertimus, atque ita rursus diuisis post eā, ante vnitionem quidē ipso-*

rum, &c. Galeni quippe sententia est, neruos illos visificos, prius quàm crassa meninge excidant, conspirare in vnum: diuaricari autẽ, vbi illam fuerint elapsi: præterea, ante coitionem ipsorum, peluim quendam consistere.

Pag. 647.

N*Icolaus Reg. In omnibus animalibus primi hi neruorũ omnium sunt iam durissimi. Græcè legimus,* διὰ παντὸς ταῦτα πρῶτα τῶν νεύρων, ἀκριβῶς ἐστιν ἤδη σκληρά. *Hoc est, in vniuersum autem ex neruis ipsis hi existunt primi, qui iam exquisitè sunt duri, &c. Nam dicere neruos septimæ coniugationis esse neruorum omnium durissimos, hominis planè est in anatome minimè exercitati: quum liquidò constet neruos omneis, qui ab spinali oriuntur medulla, eis longè duriores existere.*

Pag. 650.

N*Icolaus Reg. Neque perforatum. Græcè* καὶ ἀκατάτρητον. *Sed* ἀκατάτριπτον *est legendum, vertendúmq; Et quod comminui non possit.*

Pag. 653.

N*Icolaus R. Qui verò ad ossa maxillæ inferioris, magnos dentes scilicet penetrant, &c. Græcè habetur,* ὅσον δ' εἰς τὰ τῆς κάτω γένυος ὀστᾶ παρερχόμενον τοὺς ὀδόντας τοὺς μεγάλους. *Quæ sonant, Quantum verò ex ipsis ad ossa maxillæ inferioris magnos prætergrediuntur dentes. Quæ lectio ex sententia subdita etiam colligi poterit.*

Ibidem.

NIcolaus Reg. Propagines recipiunt per eã quidem viam, quæ per genam fert, quam paulò antè indicauimus: molæ conspicuas & magnas: gingiuarúmq; aliæ quidem maiores, aliæ verò minores: omnes tamen tenues ac vix conspicuas accipiunt, velut & longi dẽtes. Græcus codex habet: ἀποσχίσεις λαμβάνουσι, κατὰ μὲν τὴν διὰ τῆς γένυος ὁδὸν, ἣν ἐδηλώσαμεν ὀλίγῳ πρόσθεν, αἵ γε μύλαι σαφεῖς καὶ μεγάλας. καὶ τῶν οὔλων, τὰ μὲν ἧττον, τὰ δὲ μᾶλλον. ἅπαντα δ' οὖν λεπτάς τε καὶ δυσθεωρήτους, τά τ' οὖλα καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ὀδόντων. *Hoc est. Recipiunt propagines per genæ regionem, quã paulò ante indicauimus: cæterùm molæ quidẽ, cõspicuas & magnas: ex gingiuis autẽ, hæ quidẽ, minus: hæ verò, magis cõspicuas: omnes tamen tenues, obscurásq;, tum gingiuæ, tũ reliqui dentes.*

Pag. 658.

NIcolaus Reg. Tres enim sunt omnino capitum figuræ. Græcè, τρία μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστι τὰ πάντα σχήματα. *Quod est, ipsorum autem vniuersæ figuræ sunt tres, &c. Agebat autem de capitibus fastigiatis, quorum figuras ait esse tres: nempe vnam, vbi vtraq; eminentia, anterior videlicet & posterior abest: secunda, vbi anterior tantùm: tertia denique, vbi posterior duntaxat est exoluta. Quòd si de vniuersis capitis figuris Galenus impræsen-*

tiarum egisset, præter has tres, annumerasset etiam naturalem figuram, atque adeò complures alias se præter naturam habentes.

Lib. x. Pag. 664.

N*Icolaus Reg. Quo circa medius is vehitur ad ipsum Crystallinum. Græcè habetur.* ὥστε διὰ τοῦτο μέσον ὀχεῖται κατ᾽ αὐτὸ, τὸ κρυσταλλοειδὲς. *Quod nos vertimus, ac proinde medius in ipso vehitur crystallinus humor &c. Ait itaque non vitreum humorem in crystallino, sed crystallinum in vitreo, veluti semisectā sphærā in aqua (hac enim vtitur Galenus analogia) natare: id quod licet videre manifestissimè. Siquidem Crystallinus humor instar glaciei est compactus: vitreus autem humidior est, ipsamq; aquam refert. Ob idque in eo crystallinus vehitur, veluti globus semisectus in aqua.*

Ibidem.

N*Icolaus Reg. Atque etiam ophthalmia laborantes lux quidē offendit, eósque depræhendit. Græcè,* ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμιῶντας ἐξελέγχει μὲν καὶ βλάπτει τὸ φῶς. *Quod clarius vertitur, Quin & lippitudine laborantes redarguit quidem splendor, ac lædit.*

Pag. 671.

N*Icolaus Reg. Quum igitur opifex nostri providere vellet, vt quà est foramen hoc, tunica cornea humorem crystallinum aliquando non contingeret. Græcè legitur:* ὅπως οὖν μηδὲ

μηδὲ κατὰ τοῦτο τὸ τρῆμα ψαύσῃ ποθ᾽ ὁ κερατοειδὴς χιτὼν τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ, προνοήσας ἡμῶν ὁ δημιουργός. Quod est vertendũ. Vt igitur nec per hoc foramẽ cornea tunica aliquando crystallinum humorem tangeret, quũ prospexisset conditor noster, &c. Non prospexit siquidem vt aliquando non tangeret, sed vt nunquàm crystallinum cornea contingeret, quemadmodum re vera non tangit, nisi dum ipsius oculi fabrica omnino labefactatur.

Pag. 679.

NIcolaus Reg. Aceruati hi omnes suis aponeurosibus. Græcè ἀπονευρούμενοι δὲ πάντες. Quod est, Dissoluti autem omnes in filamenta neruosa.

Libro XI. Pag. 713.

NIcolaus Reg. Quòd si magni sint. Græcè, ὅτι μεγάλοι. Hoc est, Quoniam magni existunt.

Pag. 724.

OMnia Latina exemplaria habent, Ad palatum columnam. Græcè legitur, κατά τε τὴν ὑπερῴαν καὶ τὸν κίονα. Quod est iuxta palatum atque columnam.

Pag. 743.

NIcolaus Reg. Qui igitur hic quoq; natura cõtraria vniri inter se posse desperauit? Græcè, πῶς οὖν ἡ φύσις κἀνταῦθα, τοῦ μὲν ἑνοῦν ἀλλήλοις τὰ ἐναντία κατέγνω. Quod

ego sanè verterẽ, Quo pacto igitur hic quoq; natura contraria inter se mutuò vnire cõstituit?

Pag. 746.

N*Icolaus Reg. Tum quòd ex basi capitis est, quæ dura esse oportet. Græcè,* ὅτι τε γὰρ τῶν ἐκ τῆς βάσεως ὄντα τῆς κεφαλῆς, σκληρῶν εἶναι δεομένων. *Quæ sonant, Quódq; ex ijs sit, quæ basi capitis insunt, quæque dura esse expediebat.*

Pag. 747.

N*Icolaus Reg. Ante hos verò tertium. Vbi legendum est, Ante hæc verò tertium: quum ille articulus referat duo nasi ossa. Similiter paululò inferius, vbi vertit Nicolaus Regius, Supra quos alij sunt duo: legendum est, Supra quæ alia sunt duo: quum nimirũ etiam illi articuli manifestè referantur ad ossa.*

Libro XII. Pag. 767.

N*Icolaus Reg. Ob idq; erat necesse quosdã ei parte anteriore apponere. Græcus codex habet.* καὶ διὰ τοῦτο ἀναγκαῖον ἦν ἀντιτάξαί τινας αὐτοῖς ἔμπροσθεν μῦς. *Quod vertimus, Ac proinde necessum erat quosdam ipsis parte anteriori opponere musculos.*

Pag. 773.

N*Icolaus Reg. Motus enim & sensus omnium partium infernarũ læduntur læso spondylo. Græcè clarius habetur,* κίνησίς τε γὰρ καὶ αἴσθησις ἁπάντων βλάπτεται τῶν κάτω τοῦ

πεπον

πεπονθότος σπονδύλου μορίων. Hoc est, Motus enim & sensus omnium particularum, quæ sub læso spondylo consistunt, vitiantur.

Pag. 778.

NIcolaus Reg. Via autem omnis, quæ est inter primam productionē, & finem vltimæ. Græcè habetur. ἡ δὲ μεταξὺ τῆς τε πρώτης ἐκφύσεως, καὶ τῆς ἐσχάτης τελευτῆς ὁδός. Quod nos vertimus, Via autem quæ est inter primam productionem, & insertionem vltimam, &c. Quandoquidem eo in loco Galenus summā viæ securitatem commendat, quæ ducit neruos à prima productione ipsorum, quæ fit ab spinali medulla, vsq; ad particulas in quas inseruntur.

Ibidem.

NIcolaus Reg. Ad posteriores siquidē partes spinæ os attinet: quo loco cartilago quàm plurima ei circumiacet. Græcè legitur, ἄχρι μὲν δὴ τῶν ὀπίσω περάτων ὀστοῦν ὅπερ ἡ ἄκανθα, κατὰ ταῦτα δ' αὐτῇ χόνδρος περίκειται πάμπολυς. Quod sic potius verterem, Quatenus autem ad posteriores fines vergit os, quod acantham vocant, eatenus ei cartilago plurima circunducitur.

Pag. 782.

NIcolaus Reg. Nisi quod in thorace quū constæ nō solū eis sint, &c. Græcè, ἢ ὅτι κατὰ μὲν τὸν θώρακα τῶν πλευρῶν οὐ μόνον διαρθρουμένων αὐταῖς. Quod est, An quòd in thorace,

quum costæ nō solùm eis essent articulatæ, &c.

LIb. XIII. Pag. 795.

NIcolaus Reg. Apparet enim perspicuè, quòd non præstiterit ab vtroque ipsius fine neruos quosuis producere, ob id fuisse pertusum, Græcè habetur, φαίνεται γὰρ ἐναργῶς, ὅτι καθ' ἑκάτερον αὐτοῦ τῶν περάτων, οὐκ ἦν ἄμεινον ἐκφῦναι τινα νεῦρα. καὶ διὰ τοῦτο τρηθεὶς αὐτός. *Quæ sonant, Apparet enim perspicuè, quòd non præstiterit per vtrunque ipsius finem aliquem neruum producere: ob ídque ipsum fuisse pertusum.*

Pag. 797.

NIcolaus Reg. Quemadmodum & alijs omnibus eius loci spondylis propagines quasdam exiguas mittit, quomodo & reliquis coniugationibus neruorum qui sunt in collo. Græcè, ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς τῇδε σπονδύλοις, ἀποφύσεις τινας πέμπει σμικράς, ὁμοίως ταῖς ἄλλαις συζυγίαις τῶν νεύρων τῶν κατὰ τὸν τράχηλον. *Quod est vertendū, Quemadmodum & alijs omnibus eius loci spondylis propagines quasdam exiguas mittit, quo modo & reliquæ coniugationes neruorum qui sunt in collo.*

Pag. 800.

NIcolaus Reg. Quas à spinali medulla neruos recipere præstiterat. Græcè legimus, οἷς βέλτιον ἦν ἐκ τοῦ κατὰ τράχηλον νωτιαίου

τὰ

τὰ νεῦρα λαμβάνειν. hoc est. Quas à spinali medulla colli præstiterat neruos recipere.

Pag. 813.

NIcolaus Reg. Porrò à scapulæ processibus superna quidē, quæ est ad summitatē humeri (quam quidē à coruini rostri forma κοραχοειδῆ nominant) interna verò, &c. Codex quidā vetustus habet, ὑπὸ δὲ τῶν ὑποφύσεων τῆς ὠμοπλάτης ἄνωθεν, τῆς κατὰ τὸ ἀκρώμιον, ἣν ἔνιοι κοραχοειδῆ προσαγορεύουσιν, ἔξωθεν δὲ, &c. Quæ sonant, Porrò ab scapulæ processibus superioribus, eo quidē, qui est ad summitatē humeri (quē illi coruiformē appellāt) externo verò &c.

Pag. 814.

NIcol. R. Qui ortus maxima ex parte costæ imæ scapulæ. Græcè, ἐκπεφυκὼς τοῦ πλείστου μέρους τῆς ταπεινῆς ἐν ὠμοπλάτῃ πλευρᾶς. Quod nos vertimus, Qui ortus à maxima parte inferioris, quod in scapula est, lateris.

Ibidem paulò inferius.

NIcolaus Reg. Qui ex inferiore fine costæ imæ scapulæ proficiscitur. Græcè, ὁ τοῦ κάτω πέρατος ἐκπεφυκὼς τῆς ταπεινῆς ἐν ὠμοπλάτῃ πλευρᾶς. Quod est vertendum, Qui ex inferiori ora lateris humilioris, quod in scapula est, proficiscitur.

Pag. 816.

NIcol. Reg. fertur ad humerum, Græcè legitur, νῶτον. hoc est, dorsum. Et paulò

inferius Nicolaus Regius vertit: Hoc quidem maximè trahit: quum vertendum fuisset, Hūc, scilicet humerum, maximè trahit.

Lib. XIIII. Pag. 821.

N*Icolaus Reg. Quæ propter corporis imbecillitatem, aut vitam omnino breuissimā. Græcè legitur, ὅσα διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν ἤτοι βραχυχρόνια τελέως. Sed legendum non ἤτοι, sed ἀεὶ: vt vertamus, Quæ ob corporis imbecillitatem vitam exquisitè breuem sortiuntur. Quippe sentētia Galeni est, quæ ob corporis imbecillitatem, admodū breuis vitæ futura erāt, aut præda etiam fortioribus, iis animalibus remedium assidui interitus excogitasse naturam, nempe fœcunditatem generationis.*

Pag. 828.

N*Icolaus Reg. Verùm (quod nuper diximus) fœmina in motu est imperfectior: mas verò perfectior. Græcè, ἀλλ' (ὡς εἴρηται νῦν) τὸ μὲν ἀτελέστερον ἐν τῇ κινήσει, θῆλυ, τὸ δὲ τελειότερον ἄῤῥεν γίνεται. Quod est, Cæterùm (quemadmodum est nuper dictum) quod imperfectius mouetur semen, fit fœmina: quod verò perfectius, mas.*

Pag. 832.

N*Icolaus Reg. Habet enim is dextro plures flexus variciformes. Græcus codex antiquus, καὶ γὰρ οὖν καὶ ψυχρότερος ὁ ἀριστερὸς τοῦ δεξιοῦ. Quod est, Etenim sinister dextro*

est

est frigidior.

Pag. 833.

N*Icolaus Reg. Siquidem fieri potest, vt etiam si initium à fœmina sit profectũ. Græcè, προϊόντος γὰρ δὴ τῆς ἀπὸ τοῦ θήλεος ἀρχῆς, ἐνδέχεται ποτὲ, &c. Hoc est, Procedente enim principio à fœmina, fieri aliquando potest, &c.*

Pag. 836.

N*Icolaus Reg. Propagines quædam ad matricem rectà ferantur. Græcè, πρὸς τὴν κατ' ἰθὺ μήτραν. Hoc est, ad matricem quæ è directo est sita.*

Pag. 838.

N*Icolaus Reg. Fieri non potuit, quin natu æ artẽ admiretur. Græcè, ἀδύνατον ἂν τοῦ μὴ θαυμάσαι τὴν τέχνην τῆς φύσεως. Hoc est, Impoßibile est, quin ibidem artem naturæ admiretur.*

Pag. 842.

N*Icolaus Reg. Insunt autẽ matrici & corpora musculosa. Græcè, ἔστι δὲ αὐτῷ τὰ μυώδη σώματα. Quod est vertendũ. Insunt autem ei vasi musculosa corpora. Quandoquidem articulus ille, non matricem, sed spermaticum vas, de quo nimirum Galenus agebat, refert.*

Lib. XV. Pag. 857.

N*I colaus Reg. Hæc mẽbrana omnibus matricis partibus, quæ sunt intra orificia,*

subij

ſubijcitur. Græcè, καὶ τοῖς μεταξὺ τῶν στομάτων ἅπασι μέρεσι τῆς ὑστέρας διπλοῦς ὑπόκειται. *Quod eſt, Atq; omnibus matricis partibus, quæ inter orificia conſiſtunt, duplex ſubijcitur.*

Eadem pagina.

NIcolaus Reg. *Eæ verò paululum progreſſæ.* Græcè, προελθοῦσα δ' ὀλίγον. *Quod eſt, progreſſa autem parum: vt ſenſus ſit, matricis vaſa (non radices arboris, quemadmodum arbitratur interpres) paululum progredientia, per coniugationem coaleſcere.*

Pag. 868.

NIcolaus Reg. *Ac ſi ter aut quater nõ concinnè excidens nõ ſuffocaretur, eo certè modo accideret ex quadringentis, verbi gratia, fœtibus centum impediri.* Græcè legitur, ἀλλ' εἰ μὴν ἤτοι τρὶς, ἢ τετράκις οὐκ ἐπιτηδείως ἐκπίπτον παρ' ἐκωλύετο, συνέβαινεν ἂν οὕτω γε σβεννύειν τετρακοσίων ἐμβρύων, εἰ τύχοι, ἑκατὸν ἐμποδίζεσθαι. *Quæ dictio videtur eſſe corrupta. Ego verò ſic illam verterem: Cæterùm ſi ex tribus, aut quatuor non commodè excidentibus fœtibus, vnus impediretur, contingeret vtique ſic, ex quadringentis, verbi gratia, centũ prorſus extingui.*

Lib. XVI. Pag. 879.

NIcolaus Regius. *Adfuſa autem ſiccis corporibus ac tenuibus, vt ipſa perpetuò pinguedine natiua humectet, quæ celeriter in diu-*

tur

turnis inedijs, ac vehemẽtibus laboribus, & caloribus immodicis exiccat, atq; indurescit &c. Quo in loco interpres id pinguitudini tribuit, quod de corporibus tenuibus & siccis intelligendum est. Ait nanque Galenus, quandoquidem talia corpora facilè per labores & exiccantur & indurescũt (id quod verba illa ξηραινόμενα καὶ σκληραινόμενα planè nobis declarant) naturam illis ceu remedium quoddam, pinguitudinem adiunxisse.

Pag. 904.

N*Icolaus Reg. Quocirca & arteriæ productio quæ in dextrum renem prorumpit, producitur ab arteria superiore ea, quæ ad sinistrum it. Græcè habetur,* καὶ ἡ εἰς τὸν δεξιὸν ἐμβάλλουσα νεφρὸν ἀπονέμησις τῆς ἀρτηρίας, ἀνωτέραν τὴν ἔκφυσιν ἔχει, τῆς εἰς τὸν ἀριστερὸν ἰούσης. *Quod verti debet: Atque arteriæ productio, quæ in dextrum renem fertur, superiorem habet exortum, quàm illa quæ ad sinistrum tendit.*

Pag. 912.

N*Icolaus Reg. Tum à parte posteriore in anteriorem Græcè,* καὶ πρόσθεν ὀπίσω. *Hoc est ab anteriore ad posteriora.*

Lib. XVII. Pag. 918.

N*Icolaus Reg. Quòd si ipsum primum mouens (quod est princeps animæ facultas) respexeris, musculi rationem instrumenti habeb*

bebunt: sin ad os quod ab ipsis mouetur, non, sed hanc effectoris habebunt rationem. Græca dictio accuratius mentem Galeni exprimit, πρὸς μὲν οὖν τὸ πρῶτον κινοῦν (ὅπερ ἐστὶ ἡγεμονικὸν) ὀργάνου λόγον οἱ μύες ἔχουσι: πρὸς δὲ τὸ κινούμενον ὀστοῦν ὑφ᾽ ἑαυτῶν, καὶ τοῦτον μὲν, ἀλλὰ καὶ τὸν δημιουργοῦ. Hoc est, Ad primum igitur mouens (quæ princeps animæ facultas existit) musculi comparati, instrumenti rationem obtinent: ad os autem, quod ab ipsis mouetur, & illam, & rationem etiam opificis.

Pagina 919.

NIcolaus Reg. Quoniam autem nonnulli corporum elementa ea substantijs omnino posuerunt, vt naturæ artificio coniungi nequeant. Græcè habetur, ἐπεὶ δ᾽ ἔφθασαν ἔνιοι στοιχεῖα τῶν σωμάτων ὑποθέσθαι τὰ τοιαῦτας τὰς οὐσίας, ὡς συναφθῆναι μὴ δύνασθαι τέχνῃ φύσεως. Quæ sonant, Quādoquidem nonnulli elementa corporum talia substantijs initio constituerunt, vt coalescere naturæ artificio non possent.

Pag. 924.

NIcolaus R. Licet autem ipsam perspicias naturam vel ex ipsis hominibus, Græcè, ἰδεῖν δέ ἐστι νῦν φύσιν λογικὴν καὶ κατ᾽ αὐτοὺς τοὺς ἀνθρώπους. Quod est, Cernere autem nunc licet quandam ratiocinatricem naturam, vel in ipsis etiam hominibus.

Pag.

Pagina 925.

NIcolaus R. Neq; (quod dixi) contraria de ipsius vniuersi elementis opinio, quam temerè quidã posuerũt, inhæseris. Quæ oratio aures Grãmaticorũ offendit. Græcè autẽ legimus, πλὴν εἰ (καθάπερ εἶπον) ἀντιπέσοι τις δόξα περὶ τῶν στοιχείων τοῦ παντὸς, *&c. Hoc est. Nisi (quemadmodũ dixi) refragetur aliqua opinio, de elementis vniuersi concepta. &c.* ἀντιπίπτειν *siquidem est resistere, refragari, reluctarique.*

Eadem pagina.

NIcolaus R. Nõ igitur soli Medico opus de Vsu partium est vtile, sed multò certè magis Medico philosopho, qui totius naturæ scientiã studeat sibi cõparare, eúmq; oportet his sacris initiari. Græcè legitur, καὶ κατ᾽ αὐτὴν χρὴ τελεῖσθαι τὴν τελετήν. *Quod nos vertimus, Iuxta cuius indagationem nos cõsenescere oportet. Licet etiam ad verbum reddere, In cuius quidem indagine oportet nos diem vltimã claudere.*

Pagina 928.

OMnia Latina exẽplaria habent, Vel iaculis infixæ: fortè ob inaduertentiam typographi. Legendúmque est infixis.

Lib. III. de placitis Hippocratis & Platonis. Pag. 970.

ANdernacus: Cõmuniter reliqui huc ferri videntur. Felicianus: Plerique omnes verò

verò in hanc ſententiam propendêre ac ferri mihi videntur. Græci codices impreßi habent, κοινῇ δέ μοι δοκοῦσι οἱ λοιποὶ φέρεσθαι ἐπὶ τοῦτο. *Ceterùm vetus quidam habet non* λοιποὶ, *ſed* ἄνθρωποι. *Hoc eſt, Communiter autẽ mihi videntur homines. Atq; ita legendum eſſe, in primis docet illa Gale. præcedens dictio.* κοινὴν ἐνταῦθα φορὰν ὁ Χρύσιππος εἴρηκε, τὸ κοινῇ πᾶσιν ἀνθρώποις δοκοῦν. *Hoc eſt, Communẽ impræſentiarum inclinationẽ appellauit Chryſippus, communem hominum opinionem.*

Pagina 977.

A*Ndernacus: Niſi clarè Homerus in his percenſet. Felicianus: Niſi his carminibus Homerus exprimit. Græcè,* εἰ μὴ σαφῶς ἐν τούτοις Ὅμηρος ἐνδικνυεῖται. *Sed corruptè legitur,* εἰ μὴ, ἀντὶ τοῦ οἶμαι. *Itaq; vertendũ eſt, Clarè Homerus (vt arbitror) in his percenſet.*

Lib. VI. Pag. 1090.

A*Ndernacus: Sed temporis ſpatio animal offenditur, iecore in totius corporis tabem (quam atrophiam vocant) & pallorem elangueſcente. Felicianus: Iecore enim debilitato, ſenſim animal, moráque temporis, læſionem in alimento & colore contrahit. Græcè,* ἀλλ' ἐν τῷ χρόνῳ βλάπτεται τὸ ζῶον εἰς ἀτροφίαν τε καὶ ἄχροιαν, ἥπατος ἀτονήσαντος. *Quæ nos vertimus, Sed temporis ſpatio animal læditur, nutrimentíque vſu non promouetur, ac*

pal

pallidum contrahit colorem, iecore malè affecto.

Pagina 1099.

A*Ndernacus. Maxima autem fides, iecur nullum humorem in animalis particularum nutritionem cordi præparare, sed ipsum vniuersam eius speciem absoluere, quòd vna sit vena quæ ex iecore aut corde procedat, altera verò non item contrà enascatur ex alia ipsorũ parte, quæ elaboratũ humorẽ in totum corpus deducat. Felicianus: Iecur verò nullũ humorem in alimentum membrorũ animalis cordi præparare, sed ipsum totam humoris formam perficere, inde argumentum maximum habere possumus, quòd vna tantùm vena cernitur à iecore seu à corde exoriri: neq; alia quæpiam ex alia parte seu iecoris seu cordis exeat, quæ humorem ipsum & succum iam concoctum in totum corpus semel traducat. Vterque autem ipsorum coactus est cum mendoso codice hallucinari. Legitur autem in vetustissimo quodam, τὸ μίαν εἶναι φλέβα τὴν ἐξ ἥπατος εἰς τὴν καρδίαν ἐκφυομένην, ἑτέραν δὲ μηκέτι ἀντεκφύεσθαι κατ᾽ ἄλλο μέρος αὐτῆς εἰς ὅλον ἅπαξ φέρουσαν τὸ σῶμα. &c. Quæ nos conuertimus, Quòd quum vna sit vena quæ ex iecore in cor procedit, nulla alia enascatur ab altera ipsius cordis parte, quæ elaboratum humorem in totum corpus deducat.*

Lib. VII. Pag. 1136.

ANdernacus: Meritò igitur generatur hic spiritus in cerebri ventriculo. Felicianus: Verisimilius igitur est spiritum hunc in cerebri vẽtriculis oriri. Græcè legitur, εὔλογον οὖν γεννᾶσθαι μὲν τὸ πνεῦμα κατὰ τὰς κοιλίας τοῦ ἐγκεφάλου. Hoc est, Rationi autem est consonum, hunc spiritum gigni iuxta ventriculos cerebri. &c. Etenim animalis spiritus nõ in vẽtriculis cerebri, sed in plexu retiformi, qui iuxta illos est, gignitur: vnde in vẽtriculos eructatur: vt illinc, veluti ex quibusdã fonticulis emanans per neruos, vniuersis animalis particulis motum atque sensum largiatur.

Pagina 1146.

ANdernacus: Quemadmodum gustus humores. Felicianus, Sicuti succos gustatus. Græcè legitur, καθάπερ ἡ γεῦσις τῶν χυμῶν. Hoc est, Quemadmodum gustus sapores. Ait enim, visum colores sentire, perinde vt gustus sapores percipit.

Ibidem.

ANdernacus: At coloratum corpus simul cum eo cognoscit, quemadmodum gustus quod humores obtinet. Felicianus: Cum illis verò postea coloratũ corpus, sicut gustus, id quod succos in se habet. Græcè, καθάπερ ἡ γεῦσις τὸ τοὺς χυμοὺς ἔχον. Quod est, Quemadmodum gustus id quod sapores continet. χυμὸς siquidẽ,

non

non modò humorem, sed ſaporem etiam crebrò ſignificat.

Pagina 1151.

ANdernacus: Quēadmodū & tactilis ſenſus inſtrumenta ſenſus renixu. Felicianus: Quēadmodū verò ſenſus tactus ſenſilia per concurſum. Græcè, ὥσπερ δὲ τὰ τῆς ἁπτικῆς αἰσθήσεως αἰσθητὰ διὰ ἀντιβάσεως. Quod eſt, Quēadmodū tāgēdi ſenſus ſenſilia, per renixū.

Ibidem,

ANdernacus: Humorum dignotio corrumpitur. Felicianus: Succorum dignotio etiam interit. Græcè, διαφθείρεται τῶν χυμῶν ἡ διάγνωσις. Quod eſt, Corrumpitur ſaporum dignotio.

Pagina 1166.

ANdernacus: Qui clarius manifeſtiúſque ſanè, quemadmodum & alij complures, quaſi nō habita illius duntaxat ratione, qui à me illum accepturus erat, ſed tanquàm ad aliorū quoq; imperitiorū illo manus eſſet peruēturus, à me eſſet ſcriptus. Cui etiā ſuffragatur Feliciani tralatio. At Græcus codex habet in hūc modum, ὃ σαφέστερον μὲν ἂν ἐγέγραπτο, καθάπερ καὶ ἄλλα πολλά, μὴ πρὸς μόνον ἀποβλέποντα τὸν λαμβάνοντά μου τὸ βιβλίον, ἀλλ' ὡς καὶ τῶν ἀμαθεστέρων ἐκείνου μελλόντων ὁμιλήσειν αὐτῷ. Quæ perſpicuè magis cōuerti poſſūt, in hunc modum, Qui manifeſtius ſanè mihi

conscriptus est, quemadmodum alij plures, idq; non habita eius tantùm ratione, qui à me illum accepturus erat, sed aliorum etiam imperitiorũ eo, quibus debebat item communicari.

Lib. IX. Pag. 1238.

ANdernacus: Itaque scopi secundũ quos singula hæc rectè aliquis aggrediatur, omnino pauci sunt: nempe in ipsis exercitatio, quæ non parum temporis requirit. Felicianus: Fines igitur quibus singula hæc rectè aliquis tractare posset, prorsus pauci sunt: exercitatio scilicet, quæ tamen non paruo tempore videtur indigere. Græcè legimus, οἱ μὲν οὖν σκοποὶ καθ' οὓς ἕκαστα τούτων ὀρθῶς ἄν τις μεταχειρίζοιτο, παντάπασιν ὀλίγοι. τὸ δὲ κατ' αὐτοὺς γυμνάσιον, οὐκ ὀλίγου χρόνου δεόμενον. *Quod sic verterem, Scopi igitur secundum quos singula horum rectè tractare quis poßit, omnino sunt pauci. In ipsis autem exercitatio, haud exiguum tempus desyderat.*

SECTIONE SECVNDA.

Libro num ars tuendæ sanitatis ad medicinalem artem spectet. Pag. 4.

IVnius Paulus: Ad neruorum sutorem. Græcè: τὸ νευρορράφου. *Hoc est, ad illum qui neruis consuit.*

Pag. 32.

IVnius Paulus sic vertit, aut peruertit potius carmen Homeri,

Dict

Dictior est cunctis medicus mortalibus vnus.

In aliis tamen exemplaribus legitur, Doctior. Vtrobique autem sententia Poëtæ est corrupta. Græcè siquidem legitur.

ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων,

Cuius ſententia eſt,

Vnicus existens, ritè tamen omnia callens,

Pag. 44.

I*Vnius Paulus: Duabúsq; artibus præpositis hæ singulæ deseruiunt, Græcus antiquus habet,* καὶ διτταῖς ὑπηρετεῖ τέχναις ἀφεστώσαις ἑκάστη τῶν τοιούτων. *Hoc est, Duabúsque artibus separatis harum singulæ inseruiunt.*

Lib. I. de Alimentorum facultatibus.

Pag. 59.

M*Artinus Gregorius: Deinde affigentes. Græcè* ἔπειτα περιπλάττοντες. *Hoc est, Ac deinde circunlinentes. Monet siquidē illic Galenus, vt postea quàm cauitatē cydonii mali repleuerimus scammonio, malum ipsum obducamus, atque circunlinamus, luto videlicet, aut fermento, ac dein assemus. Qui modus obseruatur hodie in præparando scammonio.*

Pag. 63.

M*Artinus Gregorius: Et omnium maximè per aluum subsidet. Græcè,* καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ὑπέρχεται κατὰ γαστέρα. *Quod verterem, Inter cateró sque maximè per aluum descendit.*

Lib. II. cap. de fugacibus fructibus.

Pagina 102.

M*Artinus Gregorius: Vtūtur autē omnes ipsa (cucurbita scilicet) magis quàm alio quouis fructuū esculētorū: quòd cæteris fructibus sint aridiores ac scciores. Hoc tamen nō reperitur in Græco exemplari: nec videtur etiā rationi consonū: quum cucurbitæ nulli aut certè paucis, aliorum fructuum humiditate cedant.*

Pagina 128.

M*Artinus Gregorius: Læditur autem maximè ab ipsorum esu, quòd aut inflammetur, aut scirrho obsideatur. Græcè* βλάπτεται δὲ καὶ φλεγμαῖνον, καὶ σκιῤῥούμενον ἐσχάτως ὑπὸ τῆς ἐδωδῆς αὐτῶν. *Quod est, Extremè autem ab ipsarum (palmularum videlicet) esu læditur, si obsessum phlegmone, aut scirrho fuerit. Neque enim tam perniciosum ait esse fructum palmarum Galenus, vt ex solo ipsarum esu poßit hepar, aut inflammationem, aut scirrhum contrahere: at iam inflammatum, aut scirrho induratum hepar, ab vsu phœnicum maximè oblædi pronuntiat.*

Libro III. Pag. 169.

M*Artinus Gregorius. Quoniam non temere in ventriculo cuiusquam coagulatur. Græcè.* Διὸ καὶ σπανίως ἐτυρώθη τινὶ κατὰ τὴν γαστέρα. *Quod est, Ac proinde rarò alicui fuit coagulatum in ventre.*

Lib.

Lib. de Euchymia & cacochymia.

Pag. 207.

FErdinandus Balamius: *Haud ſanè exquiſitis admodum cibis vtatur. Græcè,* οὐδὲ τῶν ἀκριβῶς πάνυ διαίτης ἐδέησε. *Hoc eſt, Nec cibis admodum exquiſitis indiguit.*

Lib. de cognoſcendis curandíſque animi affectibus.

Pag. 275.

BErnardinus Donatus: *Nec tamen illud dixerim melius eſſe. &c. Eſt tamen codex corruptus, qui ſic inſtaurari debet,* εἰ μὴ τὴν ἀρχὴν ἄμεινον ἔστι. *&c. Quod nos vertimus, Niſi fortè melius eſſe videatur, initio, &c.*

Pag. 281.

BErnardinus Donatus: *Magnum quippe fuerit, credo, ſi nullus eorum moderatior in cibo & potu ſumendo ſit viſus. Quòd ſi te ipſum hoc honore afficere decreuiſti. &c. Græcè habetur,* μέγα γὰρ οὐδὲν ἐκείνων ἐσθίειν τε καὶ πίνειν ἐγκρατέστερον. εἰ δέ περ οὕτως σαυτὸν ἔγνωκας τιμᾶν. *&c. Quod eſt, Magnum quippe non fuerit ſi in cibo & potu illis temperantior videaris, Sed ſi te hoc honore afficere decreuiſti, &c. Vult nanque eo in loco Galenus (id quod paulò pòſt ſubdit) vt non cæteros modò, ſed nos etiam ipſos vincamus, modeſtius nempe, & continentius viuentes hodie, quàm heri.*

Pag. 293.

BErnardinus Donatus: *Ac per hoc ipsum præceptum singulis diebus in singulis huiusce operis partibus, nos ipsos exerceamus. Quod quidem quum cæteris ex puerili disciplina contingat, alijs illis, quibus in hoc fortuna non fauerit, serò tandem ea ratione, quam exposui, continget.* Græcè habetur, Τὴν δ' ἐκ τῶν κατὰ μέρος ἔργων ἄσκησιν ἑκάστης ἡμέρας ποιουμένην ἐπὶ τοῖσδε τοῖς δόγμασι, ὅπερ ἐκ τῆς πρώτης παιδείας ἑτέροις ὑπῆρξε, τοῦτο τοῖς ἀτυχήσασιν ἐκείνοις ὕστερον ποθ' ὑπάρξει, δι' ἧς εἶπον ὁδοῦ. Quod est vertendũ, *Cæterùm si operibus particularibus circa hæc præcepta singulis diebus se exerceant, quod quidem ex prima educatione cõtingit cæteris, id infelicibus illis postea tandem continget, ea, quam exposui, ratione.*

Pag. 296.

BErn. *Etenim ex ijs in quibus ipsa se exercuerit, multò exstit generosior.* Quo in loco reddendo interpres est Græcam phrasim sequutus, quæ habet, δι' ὧν ἐγυμνάσατο: id quod præstiterit vertere. *Eò quòd se exercuerit.*

Lib. 1. de Sanitate tuenda. Pag. 345.

LInacer: *Nempe per nares genásque.* Græcè, κατά τε τὴν ῥῖνα, καὶ κατὰ βλέφαρα. Hoc est, *Iuxta nares & palpebras. Ait nanque Galenus, oculũ explodere quicquid in eo excrementi gignitur, non per nares, sed per foramen*

quod

quoddam, quod in angulo interiori oculi, iuxta nares, intra palpebrásq; cõsiſtit: id quod in oculorũ anatome ſatis ſupérq; iam demõſtrauerat.

Lib. II. Pag. 355.

L*Inacer: At procedente tempore, vbi iam adoleuit. Græcè,* ὅταν ἤδη μέγάκνιον ἡμῖν γίγνεται. *Quod eſt, Vbi iam adoleſcit.*

Pag. 441.

L*Inacer: Frigidi nanque ſucci marcorem. Græcè,* ἐπὶ μὲν γὰρ τοῖς ψυχροῖς τὰ τε κώματα, καὶ οἱ μακρότεροι τῶν ὕπνων. *Hoc eſt, Frigidi enim ſopores, ac prolixiores ſomnos inducunt.*

Lib. V. Pag. 476.

L*Inacer: Hæc facies, vbi naturalem planè habitum crura receperunt. Græcè,* ὅταν δέ σοι ταῦτα πράξαντι, κατὰ φύσιν ἀκριβῶς ἔχῃ τὰ σκέλη. *Hoc eſt, Hæc tibi perficienti, ſi exactè ſecundum naturam ſe habent crura.*

Lib. I. de ſimpl. Medic. facult. Pag. 282.

T*Heodoricus Gerardus: Verùm ei, qui eodẽ ſenſu communicat, licet ſuggerere. Græcè,* ἀναμνῆσαι μέντοι τῷ γε αὐτῆς αἰσθήσεως κεκοινωνηκότα. *Hoc eſt, Recordari autem eũ, cui talis ſenſus fuerit communicatus, poßibile eſt. Galenus itaq; ait, impoßibile quidẽ eſſe, vt exactè quis interpretetur differentias adſtringentis, auſteri, atq; acerbi ſaporis: fieri autẽ poſſe, vt recordetur illorum, vbi talia ſemel guſtarit.*

Lib. III. Pag. 658.

THeod. *Quod si ad id nonnihil faciat ipsius raritas*. Græcè, συντελεῖ μὲν οὖν εἰς τοῦτο καὶ ἡ μανότης αὐτῆς. Hoc est, *Conducit itaque ad hoc etiam ipsius raritas*.

Lib. IIII. Pag. 698.

THeod. *Diuersis tamen hactenus viribus omphacis acetique succus constant*. Græcè habetur, διενήνοχε μέντοι τὴν δύναμιν κατὰ τοσοῦνδε ὄμφακ⊕ χυλὸς ὄξους. Quod est, *Eatenus autem facultate differt ab aceto omphacium*.

Pag. 699.

THeod. *Etenim ad hypochondria ardentia præstätior est succus omphacis, quàm aceti*. Græcè, ὄξους αὐτοῦ. Hoc est, *Præstantior est ipso aceto*. Nã aceti succus non datur, præter ipsum acetũ. Exprimitur autem ex vua immatura, cuius cremor appellatur omphacium.

Pag. 704.

THeod. *Ac partim in hac coniugatione*. Græcè, καὶ τὰ μὲν ἐν τῇδε τῇ συζυγίᾳ τῆς κράσεως. Hoc est, *Atque hæc quidem in hac temperamenti coniugatione*.

Pag. 711.

THeod. *Omnia saltem cuti nostræ imposita* Græcè, πάντα δ' οὖν. Quod est, *Omnia igitur*. &c.

Lib. V. Pag. 732.

THeod. *Tantóq; siccius, quanto vincit siccitas*. Græcè habetur, ἐπὶ τοσοῦτον δ' ὑγρότερον,

τερον, ἐφ' ὅσον ἡ ξηρότης &c. Quod est, Eatenus autem humidius, quatenus siccitas superat.

Pag. 734.

THeod. Ex familiari animatis natura fiat alteratio. Græcè, ἐξ οἰκείας ὕλης τῷ ζώῳ τὴν ἀλλοίωσιν γίγνεσθαι. Quæ sonant, Ex propria animali materia ipsam alterationem fieri.

Pag. 754.

THeod. Alia verò ex putrescente arescentéq; generationẽ sortita. Græcè, ἡ δὲ ἐκ σηπεδόνος ὀξυνούσης ἔχει τὴν γένεσιν. Quod est, Hæc autem à putredine exasperante ducit originem.

Lib. VI. Pag. 793.

THeod. Idcirco mihi videntur veteres coronis ex eo plexis vti solere. Græcè additur, παρὰ τὰ συμπόσια. Hoc est, in conuiuijs.

Pag. 807.

THeod. Equidem vidi puellum, quandoque octo totis mensibus morbo comitiali liberum. In Græco exemplari additur, ἐξ ὅτου τὴν ῥίζης ἐφόρει. Hoc est, Ex quo tempore, vel quamdiu radicem ipsam gestauit.

Pag. 819.

THeod. Cæterùm licet zingiber & piper albũ. Græcè legitur, καὶ τὸ μακρὸ πέπερι. Hoc est, Et piper longum.

Pag. 820.

THeod. *Cui accedit & ea quæ ex ſalis eſt farinæ natura.* Græcè, καὶ προσέτι τῶν ἀπὸ τῶν ἁλῶν, καὶ τῆς ἀπὸ τοῦ ἀλεύρου κατὰ φύσιν. *Hoc eſt, Et ea quæ ex ſalis eſt, & ea quæ ex farinæ natura.* Pag. 834.

THeod. *Sicuti ſanè etiam coitus ſemen pudendo circunlita.* Græcè legitur, κατὰ συνουσίαν. *Hoc eſt, Coitus tempore.*

Pag. 843.

THeod. *Sed quæ illi amaritudinis dum potatur adſunt opera.* Græcè, ἀλλ' ὅσα πικροτάτῳ ἔργα πρόσεστι πινομένῳ φαρμάκῳ. *Hoc eſt, Sed quæcunque amariſſimo pharmaco, dum bibitur, adſunt opera. &c.*

Pag. 850.

THeod. *Quinque partibus ſucci plus erat.* Græcè, πενταπλάσιος δ' ἦν ὁ χυλὸς ἑκατέρου. *Quod magis appoſitè vertitur, Ad vtrũque autem ſucci portio erat quincupla.*

Pag. 866.

TTheod. *In ſemine quidem vincentem habens qualitatem acidam.* Græcè habetur, κατὰ μὲν τὸ σπέρμα. *Hoc eſt, iuxta ſemen, vel circum ſemen. Ait quippe Galenus id quod res eſt: nempe quicquid in malo Medico, ſiue citrio, iuxta ſemen adhæret, & vnde exprimitur ſuccus, cum acore quodam ſiccare. Quãdoquidem ſemen citrij minimè talem facultatem ſortiri, vel ex guſtu intelligi poterit.*

Lib.

Lib. VIII. Pag. 873.

THeod. *Pyri quidem syluestris prorsum atque absolutè amarus est: scilicet fructus. Græcè habetur,* στρυφνὸς, *hoc est, acerbus.*

Pag. 875.

THeod. *Veluti & chartæ combustæ cinis, nisi quatenus infirmior est, quàm papyri. Græcè,* πλὴν ὅσον ἀσθενέστερα ἐστὶν ἢ τῆς παπύρου. *Quod est, Nisi quatenus cinis papyri est infirmior. Cui lectioni suffragatur Paulus: cuius verba sunt hæc. Ad singula tamen papyri cinis multò inferior est.*

Pag. 884.

THeod. *Non tamen nec resiccare, nec refrigerare manifestò potest. Græcè,* οὐ μὴν οὔτε ξηραίνειν, οὐθ' ὑγραίνειν ἐπιφανῶς πέφυκεν. *Quæ sonant. Cæterùm nec resiccare, nec humectare manifestò potest.*

Pag. 887.

THeod. *Caries lignorum, & maximè quæ particeps est adstrictionis. Græcè,* Σαπρότης ξύλων, καὶ μάλιστα, ὅσα μετέχει στύψεως. *Hoc est, Caries lignorum, eorum maximè, quæ adstrictione sunt prædita.*

Pag. 889.

THeod. *Nonnullam item amaram qualitatem obtinet. Græcè,* τινὸς καὶ δριμείας ποιότητος. *Quod est, Nonnullam item acrem qualitatem.*

Pag.

Pag. 891.

THeod. Sion quantum gustu odoratum est. Græcè, Σίον εἰς ὅσον ἀρωματίζει πῶς κατὰ τὴν γεῦσιν. Quæ sonant, Sion quatenus gustui vtcunque aromaticum est &c. Nihil siquidem est odoratum gustui, sed ipsi tantum olfactui. At quæ aromatica sunt, ea simul mouent olfactum & gustum.

Pag. 905.

THeod. Et nimiũ habet humiditatis. Græcè habetur oppositum, καὶ ἥκιστα μετέχων ὑγρότητος. Hoc est, Et minimum habens humiditatis.

Pag. 906.

THeod. Phorbij semine ad leucomata cum melle applicant. Græcè legitur χρῶνται. hoc est, vtuntur.

Pag. 936.

THeod. Cæterùm vtriusque in medio est spuma litri, Græcè habetur, ἐν τῷ μέσῳ δ' ἀμφοῖν ἐστὶ ὁ τοῦ λίτρου. Hoc est, In medio autem amborum est nitri sapor. Nam quum paulò superius disputasset de sapore tum aphronitri, tum salis, postea subdidit, inter illos medium nitri saporem consistere.

Pag. 938.

THeod. Dictũ tamẽ paulò antè est, aphrolitrum in medio consistentem habere facultatem aphronitri & salis, Corrigi tamen codex

dex Græcus mendosus debet, qui habet, ἀφρόλιτρον, quandoquidem esse legendum λίτρον, hoc est, nitrum, ex capite de sale liquidò constat.

Pag. 942.

T*Heod. Quæ in editioribus domorũ, in quibus fornaces extructæ sunt, partibus colligitur. Græcè, ἡ ἐν τῇ ὑψηλοτέροις μέρεσι τῶν οἰκῶν (sed legendũ τειχῶν) ἀθροισομένη κατὰ τὰς καμινείας. Hoc est, Quæ in editioribus partibus parietum ipsius fornacis colligitur.*

Pag. 981.

T*Heod. Quod patientis inguinibus. Græcè legitur, ταῖς λαγόσι, hoc est, Ilibus.*

Pag. 1000.

T*Heod. Capitibus mænidum sale inueteratarum, ad sedis fissuras vtebatur quidam. Græcè additur, καίων τις, hoc est, vstis.*

Pag. 1004.

T*Heod. Noui autem nostratium quosdam ossa potui exhibuisse. Græcè legimus, ἔγνων δέ τινας τῶν καθ' ἡμᾶς ἀνθρώπων ὀστᾶ κεκαυμένα ποτίζοντας. Quod est, Noui equidem nostratium quosdam, propinantes humana ossa combusta.*

Pag. 1006.

T*Heod. Porrò si laueris ea, vsserísq;, ignea in aquam natura deposita, ipsam efficiũt cũ tenuitate calefaciẽtem, adeò vt & putrefaciat. Sed nonnunquam reliquum terrenum est,*

mer

morsus expers, id quod maximè implendis, cicatricéque claudendis vlceribus humidis est vtile. Græcus codex manuscriptus habet in hunc modum: εἰ δὲ πλύναι αὐτὰ κεκαυμένα, τὸ μὲν οἷον ἐμπύρευμα πᾶν ἐναποτίθεται τῷ ὕδατι, καὶ τοῦτό γε ἐργάζεται θερμαῖνον λεπτομερῶς, ὡς καὶ σήπειν ἐνίοτε. τὸ δὲ ὑπόλοιπον, ἄδηκτον γίγνεται, γεῶδες, ὃ μάλιστά ἐστιν ἐπὶ τῶν ὑγρῶν ἑλκῶν χρήσιμον. *Quæ sic nos vertimus, Quòd si ea, vbi exusta fuerint, laueris, quicquid habebant igneum, id totum in aqua ponunt. Ac proinde aqua quidem ipsa, excalfaciens cum tenuitate redditur, adeò vt putrefaciat interdum. Reliquum verò terrosum, morsus expers efficitur, maximéque implendis, & cicatrice claudendis vlceribus humidis auxiliatur.*

SECTIONE III.

Libro de Causis respirationis.

Pag. 25.

C*Ornarius: Sic etiam circa costas musculi quorum in medijs ipsius regionibus duo & viginti numerantur, duo quidem primarũ costarum. Græci codices antiquißimi habent in hunc modum,* οὕτω δὲ καὶ οἱ κατὰ τὰς πλευρὰς μύες, οἱ μὲν ἐν ταῖς μέσαις χώραις αὐτῶν, δύο καὶ εἴκοσιν τυγχάνουσιν: καὶ δύο μὲν οἱ τῶν πρώτων πλευρῶν. &c. *Quæ in hunc modũ nos vertimus, Sic etiam costarũ musculi, qui quidem in medijs regionibus ipsarum consistunt,*

num

numerantur vigintiduo: ac præterea duo alij primarum costarum, &c.

Ibidem.

Cornarius: Ex dictis verò circa spinam musculis. Græcè, Τῶν δ' ὀρθίων τ̃ κατὰ τὸν τράχηλον. Quod est, Ex rectis verò, qui iuxta collum consistunt.

Ibidem.

Cornarius: Qui demum circa superiorem ventrem sunt musculi. Græcè, οἱ δ' κατὰ ἐπιγάστριον. Hoc est, Qui verò in abdomine, siue epigastrio sunt musculi. Etenim superiorem ventrem Galenus semper vocat ventriculum: Epigastrium autem est, tota illa membrana carnosa, quæ molem intestinorum cõtinens, ex cute, pinguitudine, quatuor obliquis, duobus transuersis, totidémq; rectis musculis constat.

Ibidem.

Cornarius: Violentæ verò, tum sima humerorum, tum interna mediarum costarum pars. Græcè legitur, Βιαίας δ' ἥ τε κατὰ τὰ σιμὰ τ̃ ὠμοπλατῶν, ἥτ' ἐντὸς τῶν μεσοπλευρίων μοῖρα. *Quæ sonant, Violentæ verò, tum sima scapularum, tum musculorum intercostalium interna pars.*

Ibidem.

Cornarius: Similiter autem & expirationis inuiolentæ quidem, musculi circa superiorem ventrem: violentæ verò, externa media-

rum costarum pars. Græcè habetur, ὡσαύτως δὲ καὶ τῆς ἐκπνοῆς, ἀβιάστου μὲν, οἱ κατὰ ἐπιγάστριον μῦες, βιαίας δὲ, τῶν μεσοπλευρίων ἡ ἐκτὸς μοῖρα. Quod est, Similiter etiã & expirationis, inuiolẽtæ quidẽ, musculi abdominis: violentæ verò, musculorum intercostalium exterior pars.

Lib. I. de Difficili respiratione.

Pag. 28.

C*Ornarius: Iuxta quas, aut veloces, aut tardæ appellantur. Græcè, καθ' ἃς ἤτοι ταχεῖαι, ἢ βραδεῖαι λεχθήσονται. Quod nos vertimus, Iuxta quas, veloces aut tardi dicentur motus. Quippe voces illæ ταχεῖαι καὶ βραδεῖαι, referuntur πρὸς τὰς κινήσεις, hoc est, ad motus, de quibus Galenus paulò superius egerat.*

Similiter vbi paulò inferius Cornarius vertit.

S*Ecundum quas aut magnas, aut paruas appellant, vertendum erat, Aut magni, aut parui appellantur.*

Pag. 33.

C*Ornarius: Vtilitate multum vrgente. Græcè habetur, ἱκανῶς ἐπειγούσης, quod est, sufficienter vrgente.*

Pag. 35.

C*Ornarius: Sed si vtilitas multum sit exoluta. Græcè, ἀλλ' εἴπερ ἐκλυθείη τὰ τῆς χρείας ἱκανῶς. Quod est, Cæterùm si quæ ad vsum pertinent, exoluta sufficienter fuerint.*

Ibid

Ibidem.

Cornarius: Eius videlicet, quæ circa expirationem consistit. Græcè, δηλονότι τ͂ περὶ τὴν ἐκπνοὴν συνισταμένων. Quod est, Earum videlicet, quæ circa inspirationem consistunt.

Ibidem consequenter.

Cornarius: Quare immodestia. Græcè, ὥσπερ γε καὶ ἡ ἀμετρία. Quæ sonant, Quemadmodum etiam immoderatio.

Ibidem.

Cornarius: Atq; ita sanè esse, ratio ipsa poscit: repugnat autem quippiam eorũ, quæ euidenter apparent. Græcè legitur, ἆρ᾽ οὖν ὁ μὲν λόγος οὕτως ἀξιοῖ, μάχεται δέ τι τ͂ ἐναργῶς φαινομένων? Quod est, An igitur sic ratio poscit, repugnat autem quippiam eorum quæ euidenter apparent? Sic autem esse legendum, atq; vertendum, indicat oratio subdita, vbi Galenus ait: Ego quidem omnia hæc consentientia reperio.

Pag. 42.

Cornarius: Nulla est autem differentia, quod ad id quod coarctatum est attinet, vt pulmo non possit, &c. Græcè, διαφέρει δ᾽ οὐδὲν πρός γε τὸ στενοχωρούμενον τὸν πνεύμονα μὴ δύνασθαι. Quæ clarius vertuntur sic, Perinde autem est, ad hoc vt pulmo compressus non possit, &c.

Pag. 49.

Ornarius: Contractiones itaque thoracis citra horum concitationem nonnunquam magnam inspirationem facere possunt. Græcè habetur, αἱ μὲν χωρὶς δὲ τούτων συντονίας συστολαὶ τοῦ θώρακος οὐκ ἄν ποτε μεγάλην ἐκπνοὴν ἐργάσαιντο. *Quæ sonant, Contractiones sanè thoracis citra horum concitationem, nunquam magnam expirationem facere poßint.*

Pag. 54.

Ornarius: Quanquam & adhuc eximium quiddam ad inæqualitatis erat generationem respiratio habebit præter pulsuum rationem. Græcè, καὶ τοίνυν περιττόν τι εἰς ἀνωμαλίας γένεσιν ἕξει ἡ ἀναπνοὴ πρὸς τοὺς σφυγμούς. *Quod est, Quinetiam abundans quid, ac veluti auctariũ ad inæqualitatis generationẽ respiratio habebit præter pulsuũ rationem.*

Pag. 55.

Ornarius: Nimirum quòd & visa aliquando plus, aliquando minus, rationem ab eo quod secundum naturam est, amoueant. Ego verò non Visa, sed cum Græco potius Phãtasmata, verterem.

Lib. III. Pag. 105.

Ornarius: Propterea quòd per distantiã organorum respirationis fit motus. Græcè magis perspicua est sententia, διότι κατὰ διαστήματος ἡ τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων κίνησις.

Quod

Quod vertimus, Quia per distantiam organa respirationis mouentur.

Pag. 112.

COrnarius: Densus & magnus fit spiritus. Græcè, πυκνὸν καὶ μικρὸν γίνεται τὸ πνεῦμα. Hoc est, Densus & paruus fit spiritus.

Pag. 122.

COrnarius: Desum autem & magnum eũ, qui inflammationem respiratoriorum organorum indicat, haudquaquam quis dixerit, nisi etiam calidus effletur. Græcè legimus, τὸ δὲ πυκνὸν καὶ μέγα, τὸ τῆς φλογώσεως τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων ἐνδεικτικὸν, οὐδ' ἂν ὀρθῶς τις λέγοι. &c. Quod vertimus, Desum autẽ & magnum indicare incendium organorũ respirationis, nemo rectè dicere posit, &c.

Libro de vsu pulsuum.

Pag. 141.

LInacer: At quomodo igitur ex pulsu maximè præsagimus. An, inquies, minimè quidem, vt ex causis id genus, quæ plurimùm momenti habeant: imò vt ex opportunis signis. Græcè, πῶς οὖν ἐκ σφυγμῶν τὸ μέγιστον προγινώσκομεν, οὐχ ὡς ἐξ αἰτίων πολὺ δυναμένων, φήσει τις, ἀλλ' ὡς σημείων ἐπικαίρων. Hoc est, Quomodo igitur ex pulsibus maximè præcognoscimus? Minimè quidem, vt ex causis admodũ efficacibus, aliquis dicere posit, sed veluti ex opportunis signis.

Pag. 142.

LInacer: *Quo minus mirum est, quum exiguum illi cōmodum ex corde suggeratur, si iugularibus venis vinculo exceptis, exiguum quoq; sentiat incommodum. Græcè legitur,* τῶν καρωτίδων λεγομένων ἀρτηριῶν βρόχοις διαληφθεισῶν. *Hoc est, Carotidibus vocatis arterijs vinculo exceptis.*

Lib. 1. de Differentiis pulsuum.

Pag. 185.

HErm. *Cruserius: Atq; inter septendecim hos pulsus, qui ex trinis dimensionibus constant. Græcè legitur,* ὄντων δὴ τούτων ἑπτὰ καὶ εἴκοσι σφυγμῶν, τῶν, κατὰ τὸ ποσὸν ἐν ταῖς τρισὶν ἅμα διαστάσεσι συνισταμένων. *Quæ nos vertimus: Quum itaq; hi septem & viginti pulsus habeantur, qui secundum quantitatem in trina dimensione consistunt.*

Pag. 190.

HErm. *Certis Bifariàm, aut triplici proportione. Græcè,* ἢ ὡς ἐν πολλαπλασίῳ λόγῳ. *Quod est, Aut multiplici proportione.*

Pag. 202.

HErm. *Cuius delapsum à primo distentionis termino nulla dirimit manifesta quies. Græcè legitur,* Καὶ τὴν καταφορὰν αὐτῆς ἀπὸ τοῦ πέρατος τῆς πρώτης διαστολῆς, *&c. Quod est, Eius autem delapsum à primæ dilatationis fine, &c.*

Pag. 212.

HErm. Si iam moueri omnes simul cœperint. Græcè, εἰ μὲν οὖν, *quod est, Si igitur.*

Ibidem.

HErmannus: Non tamen in secunda contineatur, sicut nec ipsum rhythmum. Græcè, οὐ μὴν ἐν τῇ γε δευτέρᾳ τὴν ὕπαρξιν ἔχουσα, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ῥυθμὸς αὐτός. *Hoc est, Non tamen in secunda consistat, sicuti neque ipse rhythmus.*

Ibidem.

HErm. Tempus enim partis, quæ præter cæteros prima motu deficitur, minimum est. Græcè habetur, ὁ μὲν γὰρ τοῦ πρώτου πάντων παυσαμένου τῆς κινήσεως μορίου χρόνος, ἐλάχιστος ἐστι. *Quod est vertendum, Tempus enim partis, quæ prima omnium moueri desinit, minimum erit.*

Ibidem.

HErm. Et item rhythmus in singulis cõmutatur. Græcè, καὶ οὕτως ὁ ῥυθμὸς, *&c. Quod est, Atq; in hunc modum rhythmus, &c.*

Pag. 213.

HErm. Iam verò, vbi vnà omnes partes moueri cœperint, motǽq; æquo sint tempore, si alteræ distentionis non idem omnes initiũ partes ordiantur, &c. Græcè tamen magis perspicua est sentẽtia: τῆς δευτέρας διαστολῆς μὴ ἅμα πάντα τὰ μόρια τὴν αὐτὴν ἀρχὴν ποιήσαιτο.

Hoc est, Secundæ autem dilatationis non idem omnes initium partes ordiantur.

Pag. 214.

HErm. *Non potest esse in vtroq; genere inæqualitas. Græcè,* ἀνάγκη καθ' ἑκάτερον τ͂ γενῶν γενέσθαι τὴν ἀνομαλίαν. *Quod est, Necessariò in vtroq; genere fit inæqualitas.*

Ibidem.

HErm. *Non sit autem prioris finis distentionis in omnibus æqua. Græcè,* ἡ δὲ τελευτὴ τ͂ προτέρας διαστολῆς, μὴ ἴση πᾶσι γένοιτο. *Quæ sonant, Finis autem prioris dilatationis non sit omnibus æquus.*

Secundo de differentiis pulsuum.

Pag. 232.

HErm. *Siquidem quantitas vnius dimensionis, non magnitudo, sed longitudo est. Græcè habetur,* τὸ γὰρ κατὰ μίαν διάστασιν ποσόν, *&c. Quod nos sanè maluimus vertere, Etenim quantitas vnius extensionis, &c.*

Pag. 239.

HErm. *Nã longum quidem pulsum, nisi aliqua coniuncta sit profunditas & latitudo, nõ esse posse, nemo causam dicit. Clarius id Græcè habetur,* ὅτι μὲν οὖν ἄνευ τ͂ πῶς ἔχειν βάθους καὶ πλάτους οὐ δύναται μακρὸς εἶναι σφυγμός, οὐδεὶς ἀντιλέγει. *Nempe, Quòd igitur absque aliqua tum altitudine, tũ latitudine pulsus longus nequeat consistere, contradicit nemo.*

Lib.

Libr. III. de differentiis pulsuum.

Pag. 254.

HErm. *Quàm in secundo libro inuentorum. Græcè legitur* ἐν τῷ τρίτῳ, *Quod est, In tertio.*

Ibidem.

HErm. *Etenim non mutatas oportebat nominum significationes. Græcè habetur,* καὶ γὰρ ἔδει μετατιθέναι τὰ σημαινόμενα τῶν ὀνομάτων. *Hoc est, Etenim retractare oportebat significata nominum.*

Lib. II. de Dignotione pulsuum.

Pag. 375.

HErm. *Quinetiam caloris qualitatem occursus arteriæ motu excitatus apertius animaduertit, Græcè,* καὶ μὴν δὴ καὶ τὴν τῆς θερμασίας ποιότητα, σαφέστερον ἡ διὰ τῆς κινήσεως προσβολὴ τῆς ἀρτηρίας γνωρίζει. *Quod est, Quinetiam qualitatem caloris, impulsus ille, qui in motione arteriæ cõtingit, apertius indicat.* γνωρίζειν *siquidem non modò cognoscere, sed ostendere, & indicare significat. Vnde* γνωρίσματα *semper accipiũtur pro indicijs et notis. Ad hæc, arteriæ occursus nunquã animaduertit differentiam aliquam pulsus: sed intercedente ipso tactus noster singulas deprahendit.*

Lib. II. De dignotione pulsuum.

Pag. 375.

HErm. *Etenim si quò videtur arterias maiores habere homo qui cõparatur, hoc ma-*

iorem etiam habeat distentionem. Græcè legitur, εἰ μὲν γὰρ ἴσῳ, τοσούτῳ. Hoc est, Si enim quantò videtur arterias maiores habere, tantò maiorem etiam, &c. Ibidem.

HErm. *Aut sit maior. Græcè, ἢ ἔλαττον εἴη. Quod est, Aut sit minor.*

Lib. III. de Dignotione pulsuum. Pag. 383.

HErm. *Quæ quum ita sint, optimam rationem dabimus operam vt monstremus dignoscendarum singularum dimensionum, ac de prima dicemus longitudine. Græcè habetur,* ὁπότ' οὖν οὕτως ἔχει ταῦτα. πειρατέον ἐνδείξασθαι τὸν τρόπον τῆς ἀρίστης διαγνώσεως ἐν ἑκάστῃ διαστάσει. καὶ περὶ πρώτης γε λεγέσθω τῆς κατὰ τὸ μῆκος. *Hoc est, Quãdoquidem igitur hæc ita habent, danda opera est, vt demonstremus modum optimæ dignotionis in dimensionibus singulis. Ac primò sanè de illa dicamus, quæ versatur circa longitudinem.*

Lib. I. de Causis pulsuum. Pag. 418.

HErm. *Causæ, quæ pulsus variant, partim generationis eorum sunt, partim tantùm alterationis. Græcè habetur,* τῶν τοὺς σφυγμοὺς τρεπόντων αἰτίων, τὰ μὲν, διὰ γενέσεως αὐτῶν ἐστὶν αἴτια, τὰ δὲ, τῆς ἀλλοιώσεως μόνον. *Quæ sic multò aptius vertuntur, Causarum quæ immutant pulsus, hæ quidem, generationis ipsor*

ipſorũ ſunt cauſæ, hæ verò tãtùm alterationis.

Pagina 419.

H*Erm. Et quæ his ſuccedunt externæ. Græcè, καὶ τὰ τούτων ἔτι τὰ προκαταρχοντα. Hoc eſt, Et præterea, quæ harum ſunt procatarctica, præincipientéſve.*

Ibidem.

H*Erm. At quæ nunc commemorauimus, externæ appellantur. Græcè, ταῦτι μὲν οὖν τὰ νῦν εἰρημένα, προκαταρκτικὰ λέγεται. Quod eſt, Hæ igitur, quas nunc recitauimus, procatarcticæ cauſæ appellantur.*

Ibidem.

H*Erm. Quæ has etiam præcedunt, quæ quidem in humoribus ſunt, præcedẽtes. Græcè, τὰ δ' ἔτι τούτων ἔμπροσθεν, τὰ κατὰ τοὺς χυμοὺς, προηγούμενα. Quod eſt, Quas verò ante has, illæ nempe quæ circa humores verſantur, antecedentes, &c. Multò autem clarius aſſequêris Galeni ſententiam, ſi hanc orationem cum ſuperiori coniunxeris, in hunc modum: Hæ igitur, quas nunc recitauimus, procatarcticæ cauſæ appellantur. Quas verò ante has (ſcilicet expoſuimus) antecedẽtes, &c. Nã putare quòd præcedentes vocatæ, procatarcticas vnquàm præcedant, hominis planè fuerit in Gale. dogmatis minimè exercitati. Siquidem vt præcedentes cauſæ vocatas coniunctas gignũt, ſic ipſæ gignuntur à procatarcticis.*

Ibid.

Ibidem.

HErm. Breuiter sic habeto. Quæcũque extra corpus positæ quicquàm in corpore alterant, externæ vocantur. Quæ has etiam antecedunt, præcedẽtes causæ corporum affectuũ. Hi affectus vbi cõtinentes moueãt, euadũt præcedẽtes illarũ causæ. Græcè, Καθόλου γὰρ εἰπεῖν, ὅσα μὲν ἔξωθεν ὄντα τοῦ σώματος, ἀλλοιοῖ τι τῶν κατ᾽ αὐτὸ, προκαταρκτικὰ λέγεται, προκατάρχοντά γε δὴ τῶν ἐν τῷ σώματι διαθέσεων. αὗται δὲ αἱ διαθέσεις, ὅταν τὰ συνεκτικὰ τρέπωσι, προηγούμεναι γίνονται αὐτῶν αἰτίαι. Quæ sonãt, In vniuersum autẽ, quæcunq; extra corpus positæ, aliquid in corpore immutãt, procatarctica causæ siue præincipiẽtes vocantur, vtpote incipiẽtes prius quàm ipsæ dispositiões corporũ. Quæ quidem dispositiones si quando excitauerint continentes, ipsarum antecedẽtes causæ redduntur. Pag. 421.

HErm. Quum ex his causis pulsus proficiscantur, omnes illorũ variationes, causarum necesse est comites sint alterationũ. Græcè, κατὰ ταύτας δὲ τὰς αἰτίας, τῶν σφυγμῶν γινομένων, ἀνάγκη πάσας τὰς τροπὰς αὐτῶν ἕπεσθαι τῶν αἰτίων ἀλλοιώσεσιν. Quæ clarius interpres in hunc modum potuisset reddere: Quum autẽ secundum has causas fiãt pulsus, necessum est vt omnes mutationes ipsorum, consequantur ad alterationes causarum.

Pag

Pagina 422.

HErm. Sed de his qui ambigunt, perinde ac Archigenes errant, qui in Magnum disputat de pulsus celeritate. Nam à robore nō potius, quàm ab imbecillitate proficiscitur facultatis. Græcè, ἀλλ' οἱ περὶ τούτων ἀμφισβητοῦντες, ὁμοίως ἁμαρτάνουσι. Ἀρχιγένει πρὸς Μάγνον διαφερομένῳ, περὶ τάχους σφυγμοῦ, ὡς οὐχ ὑπὸ ῥώμης μᾶλλον, ἢ ἀῤῥωστίας γίνεται τῆς δυνάμεως. *Hoc est, Cæterùm qui de his dubitãt, in eundem cum Archigene errorem incidunt, qui in Magnum disputat de pulsus velocitate, quòd scilicet nō à robore potius, quàm à languore facultatis proficiscatur. Sic autē esse vertendum, colliget Candidus Lector, ex alia castigatione, quam subdam.*

Ibidem consequenter.

HErm. Nam neutrum sequitur necessariò: attamen peculiaris celeritas robori facultatis est. Vbi legitur Græcè, μᾶλλον μὲν ἐστὶν οἰκεῖον τάχος μὲν ῥώμῃ τε δυνάμεως, καὶ πλήθει θερμασίας. *&c. Quod est, Magis tamen est familiaris, celeritas quidē robori facultatis, atq; caloris copiæ. Itaq; Gal. Archigenem impræsentiarum causatur, quòd contenderit pulsuum velocitatem, nō magis à robore, quàm ab imbecillitate virium procedere: quum ipsa pulsus celeritas facultati vegetæ, quàm imbecillæ, magis sit familiaris atque genuina.*

Pag. 429.

HErm. Celeres dicimus pulsus, itémq; tardos esse, non ægrotis modò, verùm etiam valentibus nonnullis. Quod naturaliter quidẽ iis confirmamus suppeditare. Clarius tamen percipitur sententia Gal. ex Græco exemplari, Ταχεῖς γὰρ δὴ λέγομεν εἶναι τοὺς σφυγμοὺς, ὡσαύτως δὲ καὶ βραδεῖς, οὐ τῶν νοσούντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑγιαινόντων, ἔστιν οἷς καὶ φύσει γε τοῦτο αὐτοῖς ὑπάρχειν φαμὲν. Hoc est, Celeres itaque, ac similiter tardos pulsus, non ægris modò, sed inter sanos etiam, naturaliter nonnullis adesse dicimus.

Pagina 430.

HErmanus: Semel quidem certè tardi, vel parui, si valida facultas sit, vt multum sit vsus remissus, nũquàm fiant. Græcè, τελέως γὰρ βραδεῖς, ἢ μικροὶ, τῆς δυνάμεως ἐῤῥωμένης, οὐκ ἄν ποτε γένοιντο, ἐὰν τὰ τῆς χρείας ἱκανῶς ἐκλυθῇ. Quod est, Absolutè enim tardi, vel parui, haud vnquàm euaserint pulsus, facultate vegeta existente, vel si quæ ad vsum pertinent, admodum exoluta fuerint.

Pag. 434.

HErm. Paulò enim celerior pulsus est, ex mollitudine perfectus instrumentorum. Legendum tamen est iuxta Græcam veritatẽ, nõ perfectus, sed profectus. Quippe ob inaduertentiam typographorum (quod verisimile est) omnes

omnes Latini codices eo in loco sunt depravati.

Lib. II. de Causis pulsuum.

Pagina 448.

H*Erm. Crebrior non nunc primùm, sed statim à primo fiet. Græcè,* πυκνότερος δ' ἄν, οὐ νῦν πρῶτον, ἀλλ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐγένετο. *Quod est, Crebrior autem, non nunc primùm, sed statim ab ipso initio euaserat.*

Pagina 449.

H*Erm. Tũ longioribus coguntur interuallis inæquales pulsus, interpolare æquales. Quæ oratio gignit quãdam ambiguitatẽ. Græcè legitur,* διὰ μακροτέρων οὕτως ἀνάγκη χρόνων τοῖς ἴσοις σφυγμοῖς παρεμπίπτειν τοὺς ἀνίσους. *Hoc est, Ac sic necesse est, per longiora interualla inæquales pulsus intercidere æqualibus.*

Pag. 451.

H*Erm. Iam verò intercurrentes quos vocãt pulsus, alia ratione, ac intermittẽtes, dignoscũtur. Græcè legitur,* ἡ δὲ τῶν παρεμπιπτόντων καλουμένων σφυγμῶν διάγνωσις, ἐναντία τῇ τῶν διαλειπόντων ἐστίν. *Hoc est, Vocatorũ autẽ intercidentiũ pulsuũ dignotio, contraria est illi, quæ debetur intermittentibus.*

Pag. 460.

H*Erm. Quod paruis interuallis tũ cõtentio vincatur, Græcè,* ἐκ μικροῦ διαλειπόντι διαστήματος τηνικαῦτα κινουμένου τοῦ τόνου. *Id quod equidem verterem, Quòd videlicet tunc per*

per exigua interualla ipsa facultas moueatur.

Pagina 463.

Hermanus: *Accidit autē tale quippiam, dum distenduntur arteriæ, vt superficiē earum motarū clarius sentiamus, &c.* Græcè, τ̃ ἄνω περιφερείας αὐτ̃ μᾶλλον αἰσθανόμεθα κινȣμένης, &c. Hoc est, *Supernam superficiem ipsius, dum mouetur, magis percipimus, &c.*

Ibidem.

Herm. *Et congrediatur minus multis interpositis corporibus.* Græcè, καὶ διὰ ἐλαττόνων ὁμιλεῖ σωμάτων. *Quod breuius & elegantius sic vertitur. Et tactui per pauciora corpora occurrit.*

Pagina 467.

Herm. *Siquidē robur facultatis diximus esse tantū debere in altis pulsibus, vt maximā distentionē posit moliri, nec loca cingentia arterias capere eam valeāt.* Græcè habetur, εἴ γε δὴ τὴν ῥώμην τ̃ δυνάμεως τηλικαύτην ἐλέγομεν εἶναι δεῖν ἐν τοῖς ὑψηλοῖς σφυγμοῖς, ὡς δύνασθαι μ̀ ἐργάσασθαι μεγίστην διαστολήν, μὴ χωρεῖσθαι ȝ ὑπὸ τῶν περιεχούσων τὰς ἀρτηρίας χωρῶν. *Quæ sonant, Si vtiq; facultatis robur in altis pulsibus tantùm dicebamus esse debere, vt posset maximā quidē dilatationē moliri: minimè autē à locis arterias ambientibus coërceri.*

Pag. 468.

Herm. *Quid iam si hoc verum est, num longus cōtinuò is pulsus est?* Græcè, τί δ' ȣ̃ν,

νῦν, εἰ τοῦτ᾽ ἐστὶν ἀληθὲς οὐχὶ καὶ βραχὺς εὐθέως ὁ τοιοῦτος γίνεται σφυγμός. *Quæ sic sunt reddenda, Quid igitur? An si hoc verum est, nõ cõtinuò is pulsus etiã breuis existit?*

Pagina 470.

H*Erm. Longè hîc maior est contractionis tẽpore distẽtionis tẽpus. Græcè,* παρὰ πολὺ πλεῖον ἐνταῦθ᾽ ὁ τῆς συστολῆς ἐστὶ χρόνος τοῦ διαστολῆς. *Hoc est, Multò enim hîc est maius contractionis tempus tempore dilatationis.*

Lib. III. Pag. 471.

H*Erm. Postquàm de pulsuũ alterationibus quæ ex primis & præcipuis causis proficiscuntur, satis primo in libro disputauimus. Græcè,* τὰς μὲν ἀπὸ πρώτων τε καὶ κυριωτάτων αἰτίων ἀλλοιώσεις τῶν σφυγμῶν, ὁ πρόσθεν λόγος αὐτάρκως ἐξηγήσατο. *Quod est, Alterationes quæ à primis & principalissimis causis proficiscũtur, abundè precedẽs sermo exposuit.*

Pag. 472.

H*Erm. Viri mulieribus pulsum ferè habent longè tum maiorem, &c. Græcè habetur,* Ἄνδρες μὲν οὖν γυναικῶν ὡς ἐπίπαν μείζονα πολλῷ, καὶ σφοδρότερον ὡσαύτως πολλῷ, καὶ βραδύτερον ὀλίγῳ, καὶ ἀραιότερον ἱκανῶς τὸν σφυγμὸν ἔχουσιν. *Hoc est, Igitur Viri mulieribus in vniuersum pulsum habent longè tũ maiorem, tum vehementiorem, paulò autem tardiorem, vt sufficienter rariorem. &c.*

Pagina 473.

HErman. bis rursus, τὸ ὡς ἐπίπαν vertit Ferè, quum in vniuersum, potius vertendum fuisset.

Pag. 475.

HErm. Qui pulsum non diuturnum statim etiam velocē arbitrantur esse. Græcè habetur, τ̀ βραχύχρονον, Hoc est, Pulsum, cuius motus breui absoluitur tempore. Atqui nō omnis pulsus, qui non diuturnus existit, est breuis temporis: quum is qui in mediocritate cōsistit, nec sit diuturnus, nec brachychronus.

Pagina 485.

HErm. Tandē ad remißionē & paruitatē redeunt. Græcè, χρονίσαντες δὲ, πάλιν τρέπονται εἰς ἀμυδρότητα. Quod est, Vbi autem diuturni fuerint, vertuntur in remißionem.

Lib. IIII. Pag. 499.

HErm. Planū autē est, hæc intelligi debere de lætitia, quæ per se, & modicè pulsus mutat. Græcè, δῆλον δ' ὡς ὅτι τ̀ κατὰ τ̀ ἴδιον λόγον ἀλλοιούσης τοὺς σφυγμοὺς, τ̀ συμμέτρου ἡδονῆς εἴρηται ταῦτα. Hoc est, Liquet autem, de lætitia modica, & quæ propria ratione pulsus immutat, hæc dicta fuisse.

Ibidem consequenter.

HErm. Nam si nimia quidem lætitia sit, vt facultatem opprimat, pulsus sæpe per accidens contrarij existunt. At tunc, oppressa

facul

facultatis fiunt pulsus. Græcè, πολλάκις γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς καὶ οἱ ἐναντίοι γίνονται σφυγμοὶ, τῆς ἡδονῆς ἀμέτρου γινομένης, καὶ διὰ τοῦτο καταλυούσης τὴν δύναμιν. ἀλλὰ τότε γε οἱ ἐπὶ καταλύσεως δυνάμεως γίνονται σφυγμοί. Quod est, Sæpenumero enim ex accidenti contrarij pulsus oriuntur, si sit voluptas immoderata, ac proinde facultatem exoluat. Cæterùm tunc sanè tales pulsus contingunt, quales solent viribus resolutis accidere. &c. Plurimum autem differt resolutio facultatis ab oppreßione. Opprimitur siquidem à maxima humorum colluuie: resoluitur autem ab exhalatione benignorum humorum, maximéque spirituum vitalium, qui euanescere solent, cum ob alias causas, tum etiam ob lætitiam & voluptatem insignem. Vnde multos legimus repentino gaudio perfusos, animam exhalasse.

Pag. 507.

HErm. Quæ difficultate nutrimenti extinguuntur. Græcè, ἐνδείᾳ ἢ αὐταὶ τροφῆς ἀποσβέννυνται. Quod est. Penuria enim ipsæ nutrimẽti extinguũtur. &c. Non autẽ omnis difficultas nutrimenti, eiusdem penuria existit: quum alimentum vitiosum, difficultatem quidem importet, penuriam verò non item.

Ibidem.

HErm. Quem marcorem Philippus vocat ex morbo senium: quem ferè habet sene-

ſcentes, & interim iuuenes etiam Græcè, καλεῖ δὲ τὸν τοιοῦτον μαρασμὸν ὁ φίλιππος ἐκ νόσου γῆρας. καὶ συμπίπτει μάλιστα μὲν τοῖς παρηβῶσι, ἐνίοτε καὶ τοῖς ἔτι ἀκμάζουσι. *Hoc eſt, Philippus hunc maraſmũ vocat ex morbo ſenium. Atq; inuadit præcipuè quidem iam ſeneſcentes. Interdũ autẽ & conſiſtentes ætate.*

Pag. 511.

H*Erm. Iam verò etiam magis inæquales eos meritò eſſe, ne hoc quidem eſt obſcurum. Græcè additur,* διὰ τὴν γειτνίασιν. *quod eſt, Ob vicinam.*

Ibidem.

H*Erm. Longè enim frigidior, & vt ita dicam, letalior peripneumonia eſt morbus lethargicis. Græcè,* ὅτι πλέον γὰρ ψυχρότερον, (καὶ ὡς ἂν εἴποι τις) νεκροδέστερον τοῦ τῆς περιπνευμονίας ἐστὶ τὸ τοῦ λυθαργικοῦ νόσημα. *Quæ ſonant, Longè enim frigidior, atque (vt quis dixerit) pernicioſior, eſt morbus lethargicus peripneumonico.*

Ibidem.

H*Erm. Si item hoc teneas, lethargũ ex ipſo potius cerebro, phrenitin præcipuè gigni ex tenui meninge, & ex ſepto tranſuerſo. Græcè habetur.* εἰδότι δὲ, ὅτι καὶ κατὰ μὲν αὐτὸν τὸν ἐγκέφαλον ὁ λήθαργος μᾶλλον ἔχει τὴν γένεσιν. ἡ φρενῖτις δὲ κατά τε τὴν λεπτὴν μάλιστα μήνιγγα, καὶ τὸ διάφραγμα. *Quod eſt,*

Si

Si noris autem, quòd lethargus quidẽ gignitur potius in cerebro, phrenitis verò præcipuè in eius tenui meninge, atque etiam in diaphragmate. Lethargus itaque non ex cerebro, sed ex pituitoso humore collecto in cerebro, vt phrenitis, non ex tenui meninge, sed ex bile in illa aceruata, suam ducit originem.

Pag. 513.

H*Erm. Conniuent ferè oculis. Græcè, τὰ μὲν πολλὰ μύουσι τοῖς ὀφθαλμοῖς. Quod est, vt plurimum conniuent oculis.*

Pagina 518.

H*Erm. Vteri suffocati pulsus Græcè, ὑστερικῆς πνίξεως. Hoc est, suffocationis inductæ ab vtero pulsus. Vterus quippe minimè suffocatur, sed vbi ex plenitudine vel inanitione conuellitur, respirationis organis plurimum facessit negotij, animálque in maximam anxietatem perducit.*

Lib. 1. de Præcognitione ex pulsibus.

Pag. 223.

H*Erm. Non esse venientium tantùm præscientiam. Græcè legitur, τῶν μελλόντων. Quod, futurorũ, quàm venientium, aptius interpretabimur.*

Pag. 225.

H*Erm. Postea in corporibus quæ ægrotant tantũ. Græcè legitur, τῶν νοσούντων ἁπλῶς. Hoc est, Quæ ægrotant simpliciter.*

Ibidem.

HErm. *Nec aliter in ægrotantibus, siquidẽ ægrotant tantùm, indicabit magnus pulsus morbi calidum affectum esse. Græcè,* οὕτω ἢ ἐκὰν τοῖς νοσοῦσι, τοῖς μὲν ἁπλῶς, ὁ μέγας σφυγμὸς ἐνδείξεται θερμὴν τῆ νόσου τὴν διάθεσιν. *Quod est, Similiter etiam in ægrotantibus, si ægrotent quidem simpliciter (hoc est, si morbo simplici sint correpti) magnus pulsus indicabit calidam ipsius morbi dispositionem.*

Ibidem consequenter.

HErm. *Sin recens aliqua adsit alteratio. Græcè additur, illa particula* ἔξωθεν. *Hoc est, aduenïens extrinsecus.*

Pag. 538.

HErm. *Non tamen vbi contracta præter proportionem profunditatis est. Græcè,* οὐ μὴν ὅταν γε μειωθῇ παρὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ βάθους. *Quod est, Non tamen vbi imminuta fuerit infra proportionem profunditatis.*

Pag. 539.

HErm. *At quum craßior sit, si quo homo euaserit se ipso craßior, hoc sit pulsus minor. Græcè habetur,* εἰ μὲν ὅσονπερ ἑαυτοῦ παχύτερος ὁ ἄνθρωπος ἐγένετο, τοσούτῳ καὶ ὁ σφυγμὸς μικρότερος. *Hoc est, Siquidem quantum se ipso homo craßior sit redditus, tanto etiã pulsus minor videatur.*

Pag. 549.

HErm. *Habes primas & simplicißimas pulsuũ mutationes in celeritatem & tarditatem: harum causas praecedentes & externas eadem inueniuntur ratione atque illae, &c.* Graecè, ἄυτ϶ μὲν αἱ πρῶται τε καὶ ἁπλούςατ϶ τροπαὶ τῶν σφυγμῶν, εἰς τάχος, καὶ βραδύτητα, καὶ τούτων αἰτίαι προηγούμεναί τε καὶ κατάρχουσαι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἑυρισκόμεναι ταῖς, &c. *Quae sic sunt vertenda, Atque hae sanè sunt primae & simplicißimae mutationes pulsuum in celeritatem & tarditatem: causaéque earũ antecedentes & primitiuae, simili methodo inuentae ac illae, &c.*

Pag. 552.

HErm. *Ac quò sit vehementior.* Graecè, καὶ ὅσῳ γε σφοδρότερ϶ος. *Hoc est, Et quantò vehementior fuerit. Ibidem paulò inferius, vbi legitur, Quò sit languidior, quantò sit languidior, legendum est.*

Ibidem.

HErm. *Alterationes pulsuum, quaedam in remißionem & vehementiã: & solae fiũt frequenter, & ab vna causa.* Graecè habetur: αἱ δ' ἀλλοιώσεις τῶν σφυγμῶν, αἱ μὲν εἰς ἀμυδρότητα, καὶ σφοδρότητα, καὶ μόναι γίνοντ϶ πολλάκις, καὶ ὑφ' ἑνὸς αἰτίου. *Quae sic nos vertimus, Alterationes autem pulsuum, quae quidem in remißionem & vehementiam fiunt, illae certè*

certè & solæ frequẽter fiunt, & ab vna causa.

Lib. 11. de Præcognitione ex pulsibus.

Pag. 556.

HErm. *Magna enim copia ex putrescentibus humoribus aceruatur. Græcè habetur,* κατὰ τὰς σήψεις. *Hoc est, In humorũ putrefactionibus.* Ibidem, paulò anté.

HErm. *Fuliginosorum excrementorum ingentem colligi numerum. Græcè legitur,* πλῆθος: *quod rectius vertitur, multitudinem. Numerus quippe, non de continua, sed dicitur de quantitate discreta.*

Pag. 562.

HErm. *Robur validorum omnem excipit causam paruam. Græcè,* τῶν δ' ἰσχυρῶν ἡ ῥώμη πρὸς ἅπαν ἀπομάχεται τὸ μικρὸν κακόν. *Quod est, Validorum robur, reluctatur omni affectui exiguo.*

Pag. 564.

HErm. *Est autem eorum pulsuum ingens frigiditas causa generandorum, quæ occupet vel corpus cordis, vel spiritum & sanguinem, quem continent eius sinus, vel partem aliquam vicinam. Græcè legimus,* τῶν ὁμιλούντων. *Hoc est, consentientium particularum, vel aliquod commercium habentium. At multa consentiunt mutuò, atque in vnum conspirant, quæ minimè sibi vicina existunt. Quẽadmodum cor & cerebrum, quæ neruorum &*

arter

arteriarum ratione iunguntur tanta necessitudine, vt affectio vnius, alteri consortij lege communicetur.

Pag. 565.

H*Erm. Siquidem generantur hi producta raritate: ac quum procurantur, reuertunt per raritatem ad pristinum statum. Græcè,* εἴ γε καὶ ἡ γένεσις αὐτῶν ἐπιτελουμένης τῆς ἀραιότητος, καὶ ἡ λύσις, ἐπάνοδος εἰς τὴν ἀρχαίαν συμμετρίαν διὰ τῆς ἀραιότητος. *Quod nos vertimus, Siquidem generatio ipsorum fit raritate producta: solutio autem est reditus quidam per raritatem ad commoderationem pristinã.*

Pag. 573.

H*Erm. Quem primò equidem vnum ferire iterum putaui. Clarior tamen est in Græco hæc sententia.* ὃν δὴ καὶ μόνον ᾤμην τόγε κατ' ἀρχὰς εἶναι πλήττοντα δίς. *Hoc est, Quem solum primò sanè putaueram bis ferire.*

Pag. 580.

H*Erm. Reciprocantur modò ex vltima pulsus abolitione: modò ex paruo pulsu & languido. Quorum quidem vocantur etiã reciproci vtriq; sed hoc interest inter hos, quòd illi decurtati sint reciproci, hi deficientes reciproci. Græcè legitur,* ἐπανέρχεται δὲ ποτὲ μὲν, εἰς ἀσφυξίαν ἐσχάτην ἡ κίνησις ἀφικνουμένη. ποτὲ δὲ, εἰς μικροσφυξίαν τε καὶ ἀμυδρότητα. καὶ τοίνυν καὶ καλοῦνται παλινδρομοῦντες μὲν ἀμφότεροι, διαφέρουσι δὲ τῷ, τοὺς μὲν, μειούρους εἶναι παλιν-

δρομοῦντας. τοὺς δ', ἐκλείποντας παλινδρομοῦντας. *Quæ ſic nos vertimus. Reuertitur autem motus arteriæ, interdũ quidem, ab vltima pulſus abolitione, ad quam peruenerat: interdum autem, à paruo pulſu & languido. Quorum ſanè vtrique pulſus recurrentes dicuntur: hoc tamen interiecto diſcrimine, quòd illi quidem, deficientes recurrentes exiſtunt: hi autem, imminuti recurrentes, ſeu decurtati,*

Lib. III. de Præcognitione ex pulſibus.

Pag. 589.

H*Erm. Cordis calor, pulſus (vt diximus) variat. Verùm quia duorum generũ eſt, aut à putribus genitus humoribus, cuius acris qualitas & fumoſa eſt: aut cum humiditatis defectu, à natura remotus ſola quantitate: ille prior conſtans & obfirmatus eſt. &c. Græcè legitur,* ἡ γὰρ τοι θερμότης ἐν τῇ καρδίᾳ τρέπει μὲν, ὡς εἴρηται, τοὺς σφυγμοὺς, ἀλλ' ἐπεὶ διττὴ κατ' εἶδός ἐστιν, ἡ μὲν ἑτέρα, καὶ σηπεδόνος χυμῶν ἔγγονος, ἧς ἡ ποιότης δριμεῖά τε ἐστὶ, καὶ καπνώδης. ἡ δὲ ἑτέρα μετ' ὑγρότητος ἐνδείας, κἀν τῷ μόνῳ τῷ πόσῳ τοῦ κατὰ φύσιν ἀποκεχωρισμένη. μόνιμος μέν ἐστι, καὶ δύσλυτος ἡ πρότερον ῥηθεῖσα. *Hoc eſt, Cordis calor, pulſus (quatenus dictum eſt) immutat: Cæterùm quandoquidem duplex is, ſecundum ſpeciem eſt, vnus quidem ſoboles putredinis humorum exiſtit,*

cuius

cuius nimirum qualitas acris est,& fuliginosa: alter autẽ cum benigna humiditate coiunctus, sola quantitate à naturæ modo recedit. Est autem constans & ægrè solubilis, quem primo diximus loco.

Ibidem.

H*Erm. Verecundiæ etiam atque iræ comitatur. Græcè, αἰδεῖ καὶ θυμῷ συνεπομένη. Quod mallem equidem vertere, Timorem atque iracundiã concomitatur. Quandoquidem pudor, haud quidem tanti momenti est affectus, vt pulsum vsqueadeo immutare poßit. αἰδὼς δὲ, cùm pudorem, tum etiam metum significat.*

Pag. 592.

H*Erm. Nec si pestilentem animã. Græcè, οὐδ' ὅτι λοιμώδη τὴν ἀναπνοήν. Hoc est, Nec quia pestilentem respirationem. &c. Nam tametsi per translationem interdum anima sumatur pro spiritu, ac præsertim apud poëtas, Medica tamen ars admodum seuera quum sit, minimè oblectatur metaphoris.*

Pag. 599.

H*Erm. Iam os etiam attendunt. Græcè, συνεπισκοποῦντι δὲ δή· που καὶ τὰ κατὰ τὸ στόμα μόρια. &c. Hoc est, Contemplantur simul etiam partes ori adiacentes.*

Pag. 602.

H*Erm. Qui putredini humorũ comitatur, etiam par est perpetuò huius magnitudo,*

non

non tamen vt naturalium, neque aliorum generum, verũ quum de natura parum desciuit. &c. Græcè. τοῦ δ' ἐπὶ σήψει χυμῶν, ἴσον μὲν ἀεὶ καὶ τοῦτο τὸ μέγεθος. οὐχ ὅσον ἢ τῶν κατὰ φύσιν, οὐδὲ τῶν ἄλλων γενῶν. ἀλλ' ἐπειδὰν μὲν ὀλίγον ἐξιστήκει τοῦ κατὰ φύσιν. *&c. Hoc est, Eius autem febris quæ humorum putredinem sequitur (scilicet, proprium indicium erit) par semper magnitudo in pulsu, non tamẽ vt in iis quæ pro naturæ modo se habent, neq; vt in aliis generibus. Cæterùm vbi exiguum quid à naturæ modo recessit, &c.*

Pag. 603.

HErm. *Tardi non perinde, sed si vicinis sibi frigidius sit corpus cordis. Græcè,* βραδεῖς δ' οὐχ ὁμοίως σαφῶς, ἀλλ' ἴσον ἐπὶ πλέον ἐψύχθη τὸ σῶμα τῆς καρδίας τῶν ψαυόντων ἑαυτοῦ. *&c. Hoc est, Tardi autem non vsq; adeò conspicuè, sed pro ratione excessus, quò vicinis partibus est cordis corpus frigidius.*

Pag. 604.

HErm. *Neque scilicet alii sensui tribuunt album nigrum, flauum, rufum, pallidum, fuscum, cæruleum, reliquáque colorum nomina, præter oculis obiecta. Græcè legimus,* οὔτ' οὖν ἐπ' ἄλλην φέρουσιν αἴσθησιν τό τε λευκὸν καὶ μέλαν, καὶ ξανθὸν, καὶ πυῤῥὸν, ὠχρόν τε, καὶ φαιὸν, καὶ κυανοῦν, ὅσα τ' ἄλλα χρωμάτων ἐστὶν ὀνόματα, πλὴν τῶν ὁρατῶν. *Quod*

est,

eſt, Neque igitur ad alium referunt ſenſum, album, nigrum, flauum, rufum, pallidum, fuſcũ, cæruleum, & quæcunque alia colorum nomina, præterquàm ad viſibilium ſenſum.

Ibidem conſequenter.

H*Erm. Neque etiam aliis auſternm, dulce, amarum, acerbum, adſtringens, ſalſum, ſalſuginoſum, præterquàm quæ guſtãtur. Græcè,* οὐτ' αὖ πάλιν ἐπ' ἄλλα τ̃ αὐστηρὸν καὶ γλυκὺ, καὶ πικρὸν, καὶ στρυφνὸν, καὶ στύφον, ἁλικόν τε καὶ ἁλμυρὸν, ὅτι μὴ τ̃ γευστῶν. *Quæ ſic ſunt vertenda, Neque rurſus ad alios ſenſus, auſterum, dulce, amarum, adſtringens, acerbum, ſalſum, & ſalſuginoſum, præterquàm ad guſtum.*

Ibidem.

H*Erm. Neque iam vllis aliis calidum, frigidum, ſiccum, humidum, molle, durum, verùm his quæ tanguntur, omnes attribuũt. Græcè legitur,* οὐ μὴν δ' ἐπ' ἄλλων τινῶν θερμὸν καὶ ψυχρὸν, ξηρὸν καὶ ὑγρὸν, καὶ μαλακὸν, καὶ σκληρὸν, ἀλλ' ἐπὶ τ̃ ἁπτῶν ἅπαντες. *Quod eſt, Sed neque in aliis ſenſibus collocant calidũ, frigidum, ſiccum, humidum, molle, & durum, præterquàm in tactilium ſenſu.*

Pag. 605.

H*Erm. A' propriis ad impropria. Græcè legitur,* ἀπὸ τῶν οὐ κυρίων ἐπὶ κύρια. *Hoc eſt, Ab impropriis, ad propria.*

Pag. 610.

HErm. At febris hectica, rarißima à primo existit, Græcè, σπανιώτατα μὲν οὖν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς συνίσταται πυρετὸς ἑκτικός. Quæ vertimus, Rarißimè igitur statim ab initio oritur hectica febris.

Pag. 611.

HErm. Si adiecerimus sermoni quandã distentionẽ Græcè habetur, διορισμόν τινα. Hoc est, distinctionem quandam.

Pag. 614.

HErm. Cor ipsum ad intemperiem inducit victus, si diutius sicco vtaris. Græcè, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ καρδίᾳ τὴν κατὰ ξηρότητα δυσκρασίαν ἀποτελεῖ καὶ ἡ δίαιτα μὲν εἰ πολυχρόνιος ἐπὶ τὸ ξηρότερον ἀχθείη. Quod est, In ipso autem corde siccam intemperiem producit etiam victus ratio siccior, si diu fuerit administrata.

Pag. 615.

HErm. Durorum pulsuum antè demonstrauimus esse paruitatem, mollium magnitudinem. Græcè habetur, τοῖς μὲν οὖν σκληροῖς σφυγμοῖς ἐδείκνυτο πρόσθεν ἑπομένη ἡ μικρότης, ὥσπερ τοῖς μαλακοῖς τὸ μέγεθος. Nempe, Duris igitur pulsibus demonstrauimus antea esse paruitatem comitem: quemadmodum mollibus magnitudinem.

Lib.

Lib. IIII. de Præcognitione ex pulsibus. *Pag.* 619.

H*Erm. Genus igitur respirandi, omnes fluxiones idem habent: at non eadem omnibus suffocatio, sed omnibus calidioribus comitatur potius. Græcè, habetur,* ἡ μὲν οὖν ἰδέα τῆς ἀναπνοῆς ὁμοία τοῖς ῥεύμασιν ἅπασιν ὑπάρχει. τὸ πνίγεσθαι δ' οὐχ ὁμοίως ἅπασιν, ἀλλὰ τοῖς θερμοῖς ἅπασι μᾶλλον ἕπεται. *Quæ sic sunt vertenda: Igitur species respirationis similis omnibus fluxionibus adest. Suffocatio autem ipsa, non similiter omnibus: sed magis calidas omnes fluxiones sequitur.*

Ibidem.

H*Erman. Alia præterea varietas erit, quòd interim affecta pars thoracis sit, interim succingẽs costas tunica. Codex Græcus vetustus habet,* διαλλάξουσι δὲ κἂν τῇ, ποτὲ μὲν μῦν εἶναι τὸ πάσχον μέρος τοῦ θώρακος· ποτὲ δὲ, τὸν ὑπεζωκότα τὰς πλευρὰς χιτῶνα. *Quæ sonant, Variabunt etiam vel hac ratione, quòd interdum quidem pars affecta thoracis sit musculus, interdum autem costas succingens membrana,*

Pag. 620.

H*Erm. Ac si ab solis excrementis citra febres intendatur. Græcè,* εἰ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν ἐν αὐτῷ περιττωμάτων διατείνοιτο χωρὶς πυρετῶν. *Quod est, Si igitur à solis excrementis in ipso genitis citra febres, distendatur.*

Pag. 624.

HErm. In statu arteriæ sunt moderati. Græcè, ἐν μὲν τῇ συστάσει τῆς ἀρτηρίας. *Quod est, In consistentia quidem arteriæ.*

Pag. 625.

HErm. Qui ex multa bile feruente ob putredinem, hoc patiuntur. Græcè habetur, ὅσοι δ' ἐπὶ μελαίνῃ χολῇ ζεσάσῃ διὰ σηπεδόνα τοιοῦτόν τι πάσχουσι. *Hoc est, Quicunq; autem ob atram bilem efferuescentem ratione putredinis, tale quid perpetiuntur.*

Pag. 626.

HErm. Sin frigiditas morbosa cerebrum afficiat, quum illi cor consentiat, tardiores, atq; rariores æquo pulsus erunt. Græcè, ψύξεως δὲ νοσώδους ἐν ἐγκεφάλῳ γινομένης, ὅταν εἰς συμπάθειαν ἀφίκηται ἡ καρδία, μικρότεροι, καὶ βραδύτεροι, καὶ ἀραιότεροι τῶν κατὰ φύσιν οἱ σφυγμοὶ γενήσονται. *Quæ sonant, Frigiditate autem morbosa in cerebro genita, si cor etiam consortij lege afficiatur, minores, tardiores, atque rariores ijs, qui pro modo naturæ habebant, gignentur pulsus.*

Pag. 627.

HErm. Subtilis meninx, quæ cerebrum amplectitur. Græcè legitur, ἡ διεζωκυῖα τὸν ἐγκέφαλον. *Hoc est, Quæ disiungit cerebrum. Etenim liquet ex consectionibus, per illam tenuem membranã, quæ mista arterijs & venis*

totum

totum cerebrum permeat, distingui planè dextram à sinistra ipsius cerebri partem, atq; adeò ab vtraque cerebellum, quam vocant parencephalida.

Pag. 629.

H*Erm. Vnum etiam reliquũ est, de testibus vt dicamus. Nã hæ partes etsi intra inguina sint, statim febres propter vasorum vicinitatem accendunt. Græcus vetustißimus habet,* καίτοι γὲ ὄν ἐκτὸς ὄντα βουβώνων, αὐτίκα πυρετοὺς ἐπιφέρει φλεγμήναντα, *&c. Quod est, Quanuis enim extra inguina sint, subitò febres accendunt, vbi inflammati fuerint.*

Ibidem.

H*Erm. Nam venientium sumi præsagia ex præsentibus. Græcè legitur,* ὅτι δὲ καὶ ἡ τῶν μελλόντων πρόγνωσις, ἐκ τῶν ἐνεστώτων γίνεται. *Quod sic rectius interpretabimur, Quòd autem futurorum etiam prænotio, ex præsentibus conciliatur.*

Ibidem.

H*Erm. Hæc omnia ex affectibus præsagiũtur. Græcè habetur,* ἐκ τῶν διαθέσεων. *Ex dispositionibus.*

Pag. 630.

H*Ermannus. Morbus enim cognoscitur ex loco affecto, eiúsque affectu. Græcè,* καὶ τῆς ἐν αὐτῷ διαθέσεως. *Hoc est, Et eius*

dispositione.

Ibidem.

HErm. *Quum morbum semel superatura est natura. Græcè,* ἐν ὧπερ ἂν ἡ φύσις ἐπικρατήσῃ τελεώτατα τῆς νοσώδους διαθέσεως. *Hoc est, Quo tempore natura superauerit absolutissimè morbosam dispositionem.*

Ibidem.

HErman. *Propter quos cibum non sentiant. Græcè,* ἐφ' αἷς ἀτροφοῦσι. *Quod est, Ob quos ciborum vsu non promouentur.*

Ibidem.

HErman. *Iam verò etiam animalis facultatis imbecillitates, cerebri ingenti intemperiei comitantur, eiusdem quasi suffocationes impletionibus eius ventriculorum, & obstructionibus meatuum qui in eos penetrãt. Græcè habetur,* οὕτω δὲ καὶ τῆς ψυχικῆς δυνάμεως, αἱ μὲν ἀῤῥωστίαι, ταῖς ἐγκεφάλου μεγάλαις ἕπονται δυσκρασίαις. αἱ δ' οἷον πνίξεις, ταῖς τε πληρώσεσι τῶν κοιλιῶν αὐτοῦ, καὶ ταῖς ἐμφράξεσι τῶν εἰς αὐτὰς ἡκόντων πόρων. *Quæ sic nos vertimus, Similiter autem animalis facultatis imbecillitates, magnas cerebri intemperies sequuntur. Quæ verò veluti suffocationes sunt, succedunt tum repletionibus ventriculorum ipsius, tum obstructionibus meatuum qui ad eos pertinent.*

Pag.

Pagina 633.

HErman. *Alterius quàm vitalis. Græcè,* ὥσπερ τῆς ἑτέρας ζωτικῆς. *Quod est, Quemadmodum alterius vitalis.*

Lib. I. de Diebus decretoriis.

Pag. 646.

ANdern. *Cum bonis signis accidit, quæ à contemplatorio prius indicata est. Græcè,* εὔσημον δὲ, τὴν πρoδηλωθεῖσαν ὑπὸ τῆς ἐπιδήλου. *Quod equidem maluissem sic vertere, Insignem autem, quæ ab indice præostẽsa fuerit. Fieri siquidem potest, vt crisis aliqua prius indicata iam fuerit ab indicatorio die, quæ tamen cum bonis signis non accidat. Crisis quippe, quæ septima die in exitium desinit, omnia secum habet signa exitialia, tametsi fuerit à quarto die præostensa.*

Pagina 651.

ANder. *fœtida multa tum deijciunt. Græcè,* καὶ δυσώδη τὰ πολλὰ διαχωροῦσι. *Hoc est, Et fœtida vt plurimum deijciuntur.*

Ibidem consequenter.

ANdernac. *Sudores rari quidem æquales toto manantes corpore, & calidi: quales si quando oboriuntur, plurimùm afficiunt ægros. Græcè,* ἱδρῶτες δὲ σπάνιοι μὲν οἱ ὁμαλοὶ, καὶ δι' ὅλου τοῦ σώματος, καὶ θερμοὶ, καὶ εἰ γένοιντο δέ ποτε τοιοῦτοι, διακόπτουσι τὰ πολλά. *Quod est, Sudores au-*

tem, rari quidem ij, qui æquales, & per vniuersum corpus, & calidi existunt. Quòd si tales aliquando exoriantur, vtplurimum intercipiuntur.

Pagina 654.

ANdern. *Prope hos verò tertiusdecimus. Græcè,* καὶ ταύταις ἐγγὺς ιζ. *Hoc est, Decimusseptimus.*

Pag. 671.

ANdern. *Hæc igitur quatuor genera, quorum partes etiam sunt diuersæ, dum naturæ motibus incidunt, subinde circuituum ordinem destruunt, Græcè habetur,* ταῦτ᾽ οὖν τὰ γένη τὰ τέσσαρα, καὶ πολυειδῆ κατὰ μέρος ὑπάρχοντα, ταῖς δὲ φύσεως κινήσεσιν ἐμποδὼν ἱστάμενα, διαφθείρει πολλάκις τὴν τάξιν τῶν περιόδων. *Hoc est, Hæc igitur quatuor genera, quæ varias habent species particulares, si naturæ motus præpediant, sæpenumero circuituum ordinem destruunt.*

Ibidem.

ANdernacus. *Septimo die necessariò futura est. Græcè additur,* κρίσις, *hoc est, crisis.*

Pag. 674.

ANdernac. *Quippe quum secundus, exempli gratia, & quartus, vehementissimam accessionẽ afferat, vel primus, tertius, & quintus, ad sextum diem mors prædicetur. Græcus antiq*

antiquus habet, εἰ γὰρ ἡ τὴν δευτέραν ἡμέραν, εἰ τύχοι, καὶ τὴν τετάρτην τὸν σφοδρότερον παροξυσμὸν ἐνεγκούσης, ἤπερ τὴν πρώτης τε, καὶ τρίτης, καὶ πέμπτης, εἰς τὴν ἕκτην ἡμέραν ὁ θάνατος προδηλωθείη. Quæ sic videntur esse vertenda: Si enim secunda dies (s: sic contingat) & quarta vehementiorem accessionem inducat, quàm prima, tertia, & quinta, haud dubiè ad sextam diem ipsa mors prænuntiatur.

Pag. 677.

A*Nderna. Et iudicia. Gracè, καὶ σημεῖα, hoc est, Et indicia.*

Ibidem.

A*Ndernac. Decimusoctauus autem, vigesimiprimi. Græcè, ἡ δὲ ι η, μόνης τῆς κ α. Nempe decimusoctauus autem, solius vigesimiprimi.*

Libro v. Pag. 693.

A*Ndernac. Hac ratione omnes acuti particulares fiunt. Postquàm verò omnes coiuerint, diuturni. Græcè habetur, καὶ οὕτω γίνεται τὰ μὲν κατὰ μέρος ἅπαντ' ὀξέα: τὸ σύμπαν δὲ, χρόνιον. Quæ iudicio meo sic sunt vertenda, Atque ita sanè omnes ipsius morbi partes, acutæ redduntur: totus autem morbus, diuturnus, &c. Agit quippe de morbis imperfectè solutis, & quorum recidiuæ in diebus decretorijs tum incipiunt, tum iudicantur. Ad*

quarum ſanè ortus, ſolutionéſq; , ſi reſpexerimus, vnaquæq; ipſarũ videbitur eſſe nobis morbus quidam acutus, quum tamen pars vnius morbi diuturni exiſtat.

Pag. 694.

A*Ndernac. Igitur acceſſiones ipſæ ex acutiſſimis morbis per quatuor in viginti auctæ finiuntur. Græcè,* αὖται μὲν οὖν ἤδη διὰ τεσσάρων εἰς τὴν κ, ἐκ πολλαπλασιασμοῦ ἐκ προσθέσεως ἀφικνέονται. *Hoc eſt, Ii igitur iam copulati per quaternarium, multiplicatíque adiectionis ratione, perueniunt vſque ad vigeſimum.*

Pag. 711.

A*Ndernac. Obſcuratur omnino, quum Solis lumen circa eam emergit. Græcè legitur,* καὶ ἀφανὴς παντάπασιν, ἐπειδὰν ὑπ' ἐκείνου περιλάμπηται. *Quæ ſonant, Obſcuratur omnino, vbi ſub illo, hoc eſt, ſub Sole, illuſtratur.*

Pag. 712.

A*Ndernac. Item comitialium circuitus cuſtodit; inde, quòd Solis plus, vel minus participat. Græcè legitur,* διότι ὧν ἡλίου πλέον ἢ ἔλαττον μεταλαμβάνει. *Hoc eſt, Quatenus plus vel minus ex ipſo Sole participat.*

Ibidem.

A*Ndern. Capitis dolorem conciliat. Græcè.* καρυβαρικοὺς ἀπεργάζεται. *Quod eſt.*

Capit

Capitis grauitatem conciliat: vel grauedinosos reddit.

Libr. 1. De Crisibus.

Pag. 731.

Leonicenus. *Statim in tempore accessionis hominem occidunt. Græcè,* ἐν τῷ τ̃ ἐπιδόσεως χρόνῳ. *Hoc est, augmenti tempore.*

Pag. 756.

Leonicenus. *Quæ verò extra conturbatur, debet incipere concoqui, quare & longiori tempore, & virtute forti indiget ad coctionem. Græcè,* τὸ δ' ἔξω ταρατ]όμλνον, ἄρχεσθαι πέπ]εσθαι μέλλ4. ὥστ' εὐλόγως ἥκιστον τοῦτο. καὶ γὰρ καὶ χρόνου παμπόλλου δεῖται, καὶ δυνάμεως ἰσχυρᾶς εἰς τὴν πέψιν. *Quod est, Quæ verò extra conturbatur, nondum incepit concoqui. Quare meritò hæc est deterrima. Etenim vt coquatur, prolixum tempus, robúrq; facultatis desiderat.*

Ibidem.

Leonicenus. *Hæc venosæ naturæ passionem significat. Græcè,* τὸ τοιοῦτον, τῶ φλεβώδους γένους ὑπάρχ4 πάθ&, οἷον ἀκριβὴς ἀπεψία, γαστέρ&. *Quod est, Talis enim vrina, venosi generis affectus existit: sicuti & exacta cruditas, ventris.*

Ibidem.

Leonicenus. *Quum verò etiam statim*

mingitur in vas vrinarium. Græcè, ὅταν δὲ καὶ ταχέως διεξέρχηται, τοῦτο καλεῖται ὑπό τινων ὕδερος εἰς ἀμίδα, &c. Quæ sonant, Quum autem etiam celeriter diffluit, vocatur affectus is à quibusdam in matulam hyderos, &c. Agit nanque impræsentiarum Galenus de diabete, seu de stillicidio vrinæ præter voluntatem effluentis. Qui affectus alteratricis & retentricis facultatis, veluti extinctio est: vt ibidem idem Galenus testatur. Quare per talem fluorem, impropriè sanè dicemus vrinam mingi, quum citra imperium voluntatis, atq; inuito homine delabatur, id quod explicat, τὸ ταχέως διεξέρχεσθαι.

Pag. 760.

L*Eonicenus. Color verò viridis fit in transitu ad nigrum, & quoddam veluti principiũ nigri. Græcè legitur, καὶ ἔστι οἷον προοίμιον τοῦ μέλανος. Quod sonat, Estq; veluti quoddam principium nigri.*

Pag. 771.

L*Eonicenus: Quòd si ab eo quod est nihil expuere, aut expuere, verùm liquida, & omnino cruda, fiat transmutatio. Græcè, εἰ δὲ ἐκ τοῦ μηδ' ὅλως πτύειν, εἰς τὸ πτύειν μὲν, ἀλλ' ὑγρά τε καὶ τελέως ἄπεπτα, μεταστάιη, &c. Hoc est, Si verò ab eo quod est nihil prorsus expuere, ad expuere quidem, sed liquida & omnino incocta fiat transmutatio, &c. Fieri tamen*

men potest, vt is error non à Leoniceno, sed à typographo sit commissus.

Pag. 777.

L*Eonicenus. Siqua verò vniuersa fiat permutatio, & multò magis adhuc eam quæ antecedit agitationem. Græcè habetur,* καὶ πολὺ δὴ μᾶλλον ἔτι τὴν προηγουμένην αὐτῆ ταραχήν, *&c. Hoc est, Ac multò magis illam perturbationem, quæ permutationem ipsam præcedit: scilicet, crisim appellare consueui.*

Pag. 786.

L*Eonicenus. Tertianam itaq; febrem fieri contingit absq; rigore vehementi. Græcè,* τὸν οὖν ἀκριβῆ τριταῖον, οὐκ ἐνδέχεται μὴ οὐ μετὰ ῥίγους σφοδροῦ γενέσθαι. *Quod est, Igitur exquisitam tertianam haud licet fieri absq; rigore vehementi, &c. Est enim Atticis familiare, vt pro vna, duabus negationibus sæpe vtantur.*

Pag. 799.

L*Eonicenus. Sed nihilominus hoc, si multa quiete ægrotanti adueniente. Græcè habetur,* μηδεμίας ἀπυρεξίας γινομένης περὶ τὸν κάμνοντα. *Quod est, Nulla prorsus explicatione, siue absolutione à febri in ægrotante facta.*

Lib. I I I. de Crisibus.

Pag. 814.

L*Eonicenus. Si verò tantùm febricitent, sine alicuius visceris paßione, aut inflam-*

matione hepatis, vel renum, vel vesicæ, vel splenis, maximè vrinis oportet animum adhibere. Græcè, πυρεττόντων δὲ μόνον, ἄνευ σπλάγχνου τινὸς διαθέσεως, ἢ τινος τῶν καθ' ἧπαρ, ἢ νεφροὺς, ἢ κύστιν, ἢ σπλῆνα φλεγμαινόντων, &c. Quæ sonant, Si verò tantùm febricitent, absque alicuius visceris paßione: aut si quæ etiam inflammatio adsit in aliquo eorum quæ ad hepar, vel renes, vel vesicam, vel splenem pertinent, vrinæ sunt spectandæ. Quòd autem ita legendum sit, indicant Galeni verba, quæ statim subdit in hunc modum: Semper enim, quum febris affuerit, vel ex sola humorum putredine accensa, vel ex membro inflammationem patientem, censeo præcipuè esse inspiciundas vrinas, atque inde agnoscendas coctiones.

Pag. 818.

Leonicenus. Febris enim quæ propriè synochus nominatur, longus est status. Magis autem tota hæc febris status est. Græcè, τοῦ μὲν ἰδίως ὀνομαζομένου πυρετοῦ συνόχου, πολυχρόνιος ἡ ἀκμή. μᾶλλον δ' ἀκμὴ πᾶς ἐστιν ὁ τοιοῦτος πυρετός. Quod nos vertimus, Eius autem febris quæ propriè dicitur synochus, diuturnus status est. Imò verò tota eiusmodi febris, status quidam existit.

Pag. 827.

Leonic. Tres quidem hi sunt modi pertur-

batio

bationis morborum. Græcè legitur, μεταβολῆς, Hoc est, permutationis.

Pag. 831.

L*Eonice. Tu itaque suppones aliquam esse vitalem potentiam, stude vt agnoscas eorum ita in robore, sicuti in imbecillitate dispositionem. Græcè legitur, αὐτῆς, hoc est ipsius, facultatis videlicet.*

Pag. 832.

M*Oriturus autem ad declinationis tempus pertingere minimè potest, non tamen necessariò etiam non ad statum. Græcè habetur, οὐ μὴν δὲ ἀνάγκης εἰς τὸν τῆς ἀκμῆς. Hoc est, Sed nec necessariò etiam ad tempus vigoris. Sic autem legendum esse, indicant verba Galeni sequentia, quæ talia sunt. Contingit enim ipsum in augmenti & principij etiam tempore mori.*

Pag. 843.

L*Eonic. Si igitur præter rationē aluus cōprimitur, vel vrinæ, iam propè crisi existente, rigorē sperare oportet. Si nō, distinguendū est. Græcè legitur, εἰ δὲ τοῦτο, διορίζεσθαι. &c. Quod est, Qui si accidat, distinguendum. &c.*

Ibidem.

L*Eonic. Si enim multa, &c. Græcè, εἰ μὲν γὰρ πλείω. Hoc est, Si enim plura. Quæ lectio illustratur à superiori, vbi Galenus ait. Considerare oportet nunquid alui excrementa*

plura

plura quàm priora, vel pauciora ante crisim exierint. Cui orationi subdit, Si enim plura.

Pag. 846.

L*Eonicenus. Si verò ad abscessus conuertantur, communia quidem omnia indicia sunt, vbi de ægri salute non desperatur, quòd neque morbus soluatur, neque vrina multa & multam habēs subsistentiā, sed cruda & tenuis appareat: propria verò morbi non futuri valde diuturna sunt, subita difficultas anhelitus superueniens, móxque quiescens, quam grauitas capitis, ac dolor subsequitur, & grauis somnus, ac surditas, his in glandulosis carnibus post aures necessum est abscessus fieri. Græcè legitur,* εἰ δὲ εἰς ἀπόστημα τρέποιτο, κοινὰ μὲν ἅπαντα γνωρίσματα, σωτηρίως τοῦ κάμνοντος ἔχοντος, τὸ μή τε λύεσθαι τὸ νόσημα, μή τε οὖρον πολὺ, καὶ πολὺν ὑπόστασιν ἔχον, ἀλλ' ὠμὸν, καὶ λεπτὸν φαίνεσθαι. Τὰ δ' ἴδια, τῶν μὲν μὴ λίαν κεχρονικότων, εἰ δυσπνούστερος ὁ κάμνων ἐξαίφνης γινόμενος, ὑποπαύσοιτο μὲν ἐν τάχει τῆς δυσπνοίας, διαδέξαιτο δ' ἂν αὐτὸν ὀδύνη, καὶ βάρος τῆς κεφαλῆς, καὶ κῶμα, καὶ κώφωσις: εἰς τοὺς ὑπὸ τοῖς ὠσὶν ἀδένας ἀνάγκη τούτῳ γενέσθαι τὴν ἀπόστασιν. *Quæ nos sic vertimus, Si verò morbi ad abscessus conuerti videantur, communia quidem omnia indicia sunt, vbi ægri salus non est deplorata, quòd nec morbus soluatur, nec vrina mul*

mul

multa, & multã habens subsistentiã, sed cruda & tenuis appareat. Propria verò non admodum diuturnorum morborum, si æger in difficiliorem respirationem repentè incidens, breui quidem liberetur à tali respirandi difficultate, sed excipiat ipsum statim dolor atque capitis grauitas: præterea inexpugnabilis dormiendi necessitas, surditásque. Huic autem, in glandulosis post aures partibus necessum est abscessum oriri.

Ibidem.

L*Eonic. Vel inflammatio. Græcè legitur, ἢ φλόγωσις, Quod nos, vitandæ amphibologiæ studio, vertimus, Vel incendium. Siquidem hæc vox inflammatio est vulgo medicorũ recepta, pro tumore quodam rubeo, renitentéque & calido, vtpote orto à sanguine: φλόγωσις autem, siue efferuescentia caloris, aliquando potest accidere, citra talem affluxum sanguinis.*

Lib. de Præcognitione.

Pag. 860.

L*Eonardus Iacchinus: Ego enim posthac sedulò cauebo, tum ipsis cedens, tum inscitiam patefaciens. Græcus vetustus habet, κατάφωρόν τε τὴν ἀμαθίαν αὐτῶν οὐκ ἐγγασάμενος. Quod nos vertimus. Tum perspicuam inscitiam eorum dissimulans. Cui lectioni subscribit sequens sententia, quæ est talis:*

Hæc

Hæc quum facere decreuissem, inscitiam eorum & prauitatem redarguere destiti. *Habetur quippe in codice Græco* ἐλέγχειν, *quod non tam detegere, (vt vertit interpres) quàm redarguere significat.*

Lib. de Præsagiis ex insomniis.

Pag. 889.

IOannes Ficardus: *Phlegmatis humidi plenus est. Græcè habetur*, φλέγμα ψυχρόν. *Quod est, pituitæ frigidæ.*

SECTIONE QVARTA.

Libro III. De symptomatum causis.

Pag. 152.

COpus: *At quoniam complures sunt intestinorum circumuolutiones, necesse est, vt alimenta per singulas, ex superioribus ad inferiora deferantur. Deinde, quod grauitatis præsidio fieri non potest, nempe vt propellantur ea quæ per intestinorum circumuolutiones fixa continentur, id potentiæ haud difficile est. Quippe habent intestina insitam vim, qua expellant ea quæ sibi molesta sunt. Cui versioni suffragatur etiam & Linacri translatio. Græca tamen dictio sic habet*, ἐπειδὴ πάμπολλαι τῶν ἐντέρων ἕλικές εἰσιν, ἀνάγκη δήπου καθ' ἑκάστην αὐτῶν ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων εἰς τὰ ταπεινότερα φέρεσθαι τὰ σιτία. Τοὐντεῦθεν δὲ τῷ βάρει μὲν, οὐκ ἔθ' οἷόν τε μένειν, τῇ δὲ τῶν ἐντέρων αὐτῶν ἐνεργείᾳ προωθεῖται τὰ σφηνούμενα

μῆνα κατὰ τὰς ἕλικας αὐτῶν, ἐχόντων δύναμιν ἔμφυτον ἀποκριτικὴν τῶν ἀνιόντων αὐτά. *Quæ ita vertenda censeo: Quum autem complura sint intestinorum volumina, per quæ à superioribus ad inferiora deferri alimenta est necesse, cibi sanè ipsi, ob grauitatem diu immorari non possunt. Quòd si eorum quippiam hæreat in spiris ipsis impactum, id ab actione intestinorum (quibus inest facultas quædam, expellendi infestantia) propellitur. Itaque sensus Galeni est, excrementa alui, quæ ex cibis reliqua sunt, tum suo pondere delabi, tum facultate expultrice ab intestinis exterminari.*

Lib. de Morborum temporibus.

Pagina 322.

A*Ndernacus: Etenim inflammationis affectus calidior quàm prius, euadit, cum tumore maiori, item dolore simul & tensione. Græcè,* θερμότερον γὰρ ἑαυτῷ σὺν ὄγκῳ μείζονι μετ' ὀδύνης τε ἅμα καὶ τάσεως γίνεται τὸ φλεγμαῖνον. *Quod est, Calidior itaque se ipsa euadit cum tumore maiori, doloréq; & tensione, pars phlegmone obsessa.*

Pag. 334.

A*Ndernacus: De complexis postea dissecam. Græcè,* περὶ δὲ τῶν ἐπιμικτῶν, ἑξῆς ἐρῶ. *Quod est, De mistis autem deinceps dicam.*

Libro de totius morbi temporibus.

Pag. 339.

ANdernacus: *Vnum quidem & princeps generationi eorum attribuitur. Gracè legitur, καὶ πρῶτον, hoc est, Et primum. Agit enim illic Galenus de ipsius morbi temporibus. Inter quæ vnum & primum ordine, non dignitate, tribuit ipsi generationi. At quum princeps aliquid dicimus, de ipso excellentiã quandam, prærogatiuámque enuntiamus.*

Pag. 346.

ANdernacus: *Post quod rursus augmenti tempus est, non æquè manifestum ita in omnibus: neque illud quod à vigore sequitur tempus, omnino sensile. Græcè, ἀφ' οὗ πάλιν ὁ τῆς αὐξήσεως, οὐχ ὁμοίως ἐπὶ πάντων αἰσθητὸς οὐδὲ οὗτος. οἷς ὁ τῆς ἀκμῆς ἕπεται πάντως αἰσθητός. Quod est, Post quod rursus augmenti tempus est, ne ipsum quidem similiter sensibile in omnibus. Post hæc vigoris sequitur tempus, idque omnino sensibile.*

Pag. 348.

ANdernacus. *Vel amarum vehementer. Græcè, ἢ πυῤῥὸν ἰσχυρῶς. Hoc est, Aut fuluum vehementer. Disputat nanque illic de sputi coloribus.*

Lib. I. de Locis affectis.

Pag. 373.

COpus: *Itaque quot modis contingat vrinæ meatum stipari. Græcè habetur,* κατὰ πόσους δὴ τρόπους ἐγχωρεῖ στεγνωθῆναι τὸν πόρον τοῦ τραχήλου τῆς κύστεως. *Hoc est, Itaque quot modis contingat obstrui meatum colli vesicæ.*

Pag. 380.

COpus: *Essentia quidem nondum læditur. Græcè,* οὐδέ πω μὲν ἡ οὐσία βέβλαπται. *Quod est, Substantia autem nondum est læsa. Aliud quippe dictu est non lædi, atque aliud non esse læsam. Siquidem quod nondum est læsum, fieri potest vt iam lædatur.*

Pag. 381.

COpus: *Quòd si antequàm vlcus induxerit, egredi desinat, affectus ipse nondum dysenteria dicetur. Græcè habetur,* εἰ μὲν οὖν πρὶν ἑλκῶσαι, παύσηται διεξιὸν, *&c. Hoc est, Si verò prius quàm exulceret, perfluere desinat. &c.*

Pag. 388.

COpus: *Igitur si in ventriculo cibi non suapte natura in fumum transmutantur, efficientem causam calidam: si verò saporē acidum referunt, eam frigidam esse necesse est. Græcè legitur.* εἰ μὲν οὖν κνισσοῦται τὰ σιτία κατὰ τὴν γαστέρα, μὴ διὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, ἀναγκαῖον ἐστι τὴν ταῦτ᾽ ἐργαζομένην

h H

αἰτίαν εἶναι θερμὴν. εἰ δ' ὀξύνεται, ψυχράν. Quod est, Si igitur in ventriculo cibi in fumũ nidorosum vertantur, idque non ex sua ipsorũ natura, efficientem causam calidam: si verò acescant, frigida esse necesse est.

Ibidem.

COpus: Quippe vbi igneo calore ventriculus infestatur, panem aut chondrum sine humore deijci videbis, perquàm exigua in ipsis facta transmutatione. Græcè legitur, τῆς κοιλίας μὲν γὰρ αὐτῆς δυσκράτου γεγονημένης κατὰ θερμότητα πυρώδη χωρὶς χυμοῦ, τὸν ἄρτον καὶ τὸν χόνδρον ὄψη διαχωρούμενα, βραχυτάτης εἰς αὐτὰ μεταβολῆς γεγονημένης. Quæ sic vertimus, Etenim vbi igneo calore citra humoris afflaxum ventriculus infestatur, videbis tum panem, tum chondrum deijci, perquàm exigua in ipsis facta transmutatione. Cui lectioni subscribit sequens in Galeno sententia, quam etiam interpres peruertit.

Ait enim ibidem.

COpus: Quòd si humor quoque deijciatur, qui cibum corrumpere possit, videntur cibi in huiusmodi humore submersi. Græcè habetur, εἰ δὲ χυμός τις εἴη μοχθηρὸς, ὁ φθείρων τὴν τροφὴν, &c. Quod nos ita vertendum duximus: Quòd si humor quoque in ventre prauus constiterit, qui nimirum cibos corrumpat, &c.

Pag.

Pag. 398.

C Opus: *Quocirca coniecturam feci, neruorum qui primi à septima vertebra procedunt, partem quampiam ob ictũ fuisse inflammatam. Græcè legimus,* ἐτεκμηράμην ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ κατὰ τὸν ἕβδομον σπόνδυλον νεύρου διεκπτώσει μόριόν τι ἐπὶ τῇ πληγῇ φλεγμῆναι. *&c. Quod ita vertendum est.* [illegible] *feci, nerui post septimam verte*[illegible]*tis statim in primo exortu, partem ali*[illegible] *ictum, fuisse inflammatam.*

Pag. 399.

C Opus: *Ergo neruorum, qui à ceruice prodeunt, vltimi exigua pars, ad minores peruenit digitos. Græcè,* τοῦ τελευταίου ἡ ταπεινὴ μοῖρα. *Hoc est, Vltimi humilior pars.*

Ibidem.

C Opus: *Illi præcipuè spinæ parti, quæ in affecta particula principatum obtinebat. Græcè,* ὃ τὴν ἀρχὴν εἶχε τοῦ πάσχοντος μορίου. *Quod est, Quæ principiũ affectæ partis in se continebat.*

Pag. 404.

C Opus: *Verùm animalibus instrumentis omnibus naturale queq; munus debetur. Græcè,* ἡ φυσικὴ διοίκησις ὑπάρχει. *Hoc est, Naturalis quoque dispensatio adest.*

Lib. 11. Pag. 405.

C Opus: *Quippe vt dolor tristis sensus est, ita voluptas blandus est sensus. Græcè,*

ὁ γάρ τοι πόνος, αἴσθησίς ἐστιν ἀνιαρὰ, καθάπερ ἡ ἡδονὴ προσηνὴς αἴσθησις. Hoc est, *Dolor enim est tristis sensus, quemadmodum ipsa voluptas, blandus.*

Ibidem.

COpus: *Quòd si rem accuratius inspexeris, haudquaquam doloris species dicendus est stupor.* Græcè, οὐδὲ διαφορά τις ἐν πόνοις ὁ ναρκώδης ἐστιν. *Quod est, Ne differentia quidem inter dolores est, stupidus dolor.*

Pag. 408.

COpus: *Morbus verò lateralis membranæ costas succingentis est morbus: quæ vbi costis quidem vicina est, necessariò comprimitur. At media ipsius pars, comprimi non potest.* Græcè, ὃς ἐν οἷς μὲν ὁ μιλεῖ τοῖς ὀστοῖς, ἐξ ἀνάγκης θλίβεται. Τὸ μεταξὺ δὲ, πᾶν ἀθλιπτόν τ' ἐστιν αὐτοῦ, &c. *Hoc est, Quæ vbi costis quidem adhæret, necessariò cõprimitur. Quod verò ex ea inter costas est situm, incompressum remanet.*

Pag. 410.

COpus: *Alius, qui ob tensionem fit, non soli affectæ parti proprius, vt qui vicinas partes interdũ afficiat.* Græcè legitur, ἕτερος δὲ, ὁ κατὰ τὴν τάσιν, οὐκ ἔτ' ἴδιος μόνου τοῦ πάσχοντος, ἀλλ' ἐστιν ὅτε καὶ διὰ τὰ πλησιάζοντα γινόμενος. &c. *Quæ sic vertimus: Alius verò, qui fit ob tensionem, non amplius*

soli

soli affectæ parti proprius, sed ob vicinas partes etiam interdum accidens.

Pag. 411.

COpus: *Neque enim, vt à tenui corpore, breui temporis spatio exire poterat, sed à profundo quodam. Græcè,* ἀλλ' ὡς ἐκ βάθους τινός. *Hoc est, Sed veluti ex profundo quodam.*

Pag. 422.

COpus: *Quemadmodum in bene valentibus, qui libera vtuntur respiratione. Græcè,* καθάπερ ἐν ταῖς ἀβιάστοις ἀναπνοαῖς. *Hoc est, Quemadmodũ in respirationibus haud violenter factis.*

Pag. 425.

COpus: *Ipsa enim omnes pelli subiacentes partes spißitudine superat. Græcè* ὅτι πυκνώτερον τ ὑποκειμένων αὐτῷ τὸ δέρμα ἐστιν. *Hoc est, Quòd nimirum cutis omnes sibi subiectas partes spißitudine superet.*

Pag. 432.

COpus: *Quinetiam calidam sentiunt respirationem. Græcè legitur,* τ ἐκπνοῆς, *hoc est, expirationem.*

Pag. 436.

COpus: *Verùm enimuero, quòd principium sensus & motionis ab impetu prodeuntis, sedem in cerebro habeat, &c. Græcè,* ὅτι ἡ

οὖν ἀληθέστατόν ἐστι, τὸ κατάρχον αἰσθήσεώς τε καὶ κινήσεως τῆς καθ' ὁρμὴν, ἐν ἐγκεφάλῳ καθιδρύσθαι, &c. Hoc est, Quod igitur quàm verißimum est, nempe ducem sensus & motus ab imperio prodeuntis, in cerebro collocari, &c. Differt siquidem plurimum ipsius motionis & sensus dux, ab earum operationum principio. Quippe omnium functionum animalium principium est cerebrum: at dux est ipsa facultas, quæ in illo gignitur, & ab ipso emanat, hoc est, animalis spiritus.

Lib. III. Pag. 455.

C *Opus: Præterea quamuis iam dictæ temperies sint contrariæ. Græcè legitur, δυσκρασίαι, hoc est, intemperies.*

Pag. 458.

C *Opus: Si verò simul cum vniuerso corpore facies quoque conuulsa videatur, nō solùm eam partem quæ ex spina procedit, verùm etiam cerebrum ipsum curamus. Græcè legitur, οὐ μόνον τὴν ἔκφυσιν τοῦ νωτιαίου. Hoc est, Non modo spinalis medullæ exortum.*

Pag. 426.

C *Opus: Igitur quemadmodū phreniticis febris, vnum quoddam accidens dispositionum cerebri censetur, sic è conuerso in ardentiū febrium dementia, multis elatis ad ipsum vaporibus Græcè habetur: Καθάπερ οὖν ὁ τῆς φρενῖτιν*

νιτικῶν πυρετὸς ἕν τι τῶν συμπτωμάτων ἐστὶ ἐγκεφάλου διαθέσεως ἐστὶν, οὕτω τῶν διακαῶν πυρετῶν ἡ παραφροσύνη πολλῶν ἀτμῶν θερμῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτόν. Quod est: Quemadmodum igitur phreniticorum febris, vnum quoddam est cerebri dispositionum symptoma, sic delirium, ardentium febrium symptoma existit, ad cerebrum elatis multis vaporibus calidis.

Pag. 465.

Copus: Fitque interdũ, vt rufo colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant. Græcè legitur, οἱ ἐξέρυθροι τὴν χρόαν ἄνθρωποι. *Hoc est, admodum rubicundi.*

Ibidem.

Copus: Quippe in his venis sanguinem cõtineri constat, vel hoc argumento, quòd alimentũ corpori non distribuitur, sed in ventriculo manet incoctum, quum ipsum meatus antea susciperent, magnam ipsius partem in imum ventrem excernerent, tum quòd postero die vomitu reijciantur, vtpote non digestis per corpus cibis. Græcè habetur, δηλοῖ γὰρ, ὅτι μὲν ἐστὶ ἔμφραξις περὶ ταύτας τὰς φλέβας, τὸ μὴ καταδέχεσθαι τὸ σῶμα τὴν τροφὴν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ γαστρὶ διαμένειν ἀνάτεργαστον, πρότερον τῶν πόρων τούτων ἀναλαμβανόντων, τὰ δὲ πολ-

λὰ ἀποκρινάντων εἰς τὴν κάτω κοιλίαν, καὶ τὸ, τῇ ὑστεραίᾳ ἐμεῖν αὐτοὺς, οὐκ ὑπαγέντων εἰς τὸ σῶμα τῶν σιτίων. Hoc eſt, Obſtructas autem eſſe eas venas, hinc conſtat, quòd alimentum corpori minimè diſtribuatur, ſed in ventriculo inconfectum remaneat, quũ ipſum hi pori antea ſuſciperent, magnámque eius partem in imum ventrem excernerent: quódque poſtero die cibi vomitu reijciantur, vtpote non digeſti per corpus.

Pag. 474.

COpus: Tamen ſola ſpiratio, quæ muſculorum pectus mouentium munus eſt, ſeruatur. Græcè, τῶν κινούντων τὸν θώρακα. Hoc eſt, Mouentium thoracem. Etenim pectus (quod Græci vocant στῆθος) thoracis pars anterior exiſtit.

Pag. 477.

COpus: quemadmodum in ore ſtomachi accidit, Græcè, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ στόματος τῆς κοιλίας. Quod eſt, Quemadmodum in ore ventriculi. Nam ſtomachum ſemper accipi aut pro gula, aut pro ipſius ore ventriculi, apud omnes tum Græcos, tũ Latinos, ſi tamẽ excipias Barbaros, eſt in confeſſo.

Pag. 479.

COpus: Quemadmodum & reliquarũ quoque partium interdum aliquæ. Græcè, tantùm legitur, ὥσπερ γε καὶ μόριον ἕν τι. Hoc eſt,

Quemadmodum pars aliqua ipsarum.

Lib. IIII.

Pag. 483.

Copus: Quũ enim nullo in oculo malo apparente, cernendi sensus deperditus est, demissus à cerebro neruus causam, vt vel inflammationem, vel duritiem, in se continet: aut ex humorum defluxu, aut aliter quomodolibet foramen ipsius obturatur. Atque huiuscemodi affectus oculo, vt instrumentali parti accidere necesse est. Græcè, εἴτ' ἂν μὲν οὖν μηδενὸς φαινομένου κακοῦ περὶ τὸν ὀφθαλμὸν, ἀπολέσθαι τὴν ὀπτικὴν αἴσθησιν συμβῇ, τὸ καθῆκον δὲ ἐγκεφάλου νεῦρον εἰς αὐτὸν, ἔχει τὴν αἰτίαν, ἤτοι φλεγμαῖνον, ἢ σκιρρούμενον, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως δὲ ἐπιρροῆς ὑγρῶν βλαπτόμενον. ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως ἐμφραττομένου πόρου τοῦ καθ' αὐτό. Καὶ ταῦτα μὲν ὡς ὀργανικῷ μορίῳ συμβαίνειν ἀναγκαῖον αὐτῷ. *Quæ ad verbum sic vertimus: Quum igitur nullo malo apparente in oculo, perire cernendi sensum contigerit, neruus à cerebro in ipsum descendens, est causa, ídque vel inflammatus, vel scirrho affectus, aut vtcunque aliter ex humorum affluxu læsus, aut quouis alio modo obstructo ipsius meatu. Quæ sanè omnia, ceu parti organicæ necessum est illi accidere.*

Pag. 491.

COpus: Quorũ alij quidem communes sunt per cerebri neruorúmq; consensum. Graecè, Διὰ τὴν πρὸς τ' ἐγκέφαλον, καὶ τὰ νεῦρα κοινωνίαν. Hoc est, Ob commerciũ quod habet cum cerebro & neruis.

Pag. 493.

COpus: Proinde & tertiae, & quartae coniugationis nerui. Graecè. καὶ διὰ τοῦτο τά τε κατὰ τὴν δευτέραν, καὶ τὴν πρώτην συζυγίαν. Hoc est, Proinde secundae & primae coniugationis nerui. Arbitror tamẽ legendum. Secundae & quartae: id quod colligo ex superiori sententia, vbi Gale. ait, Sanè affecto in vtraque parte, tam dextra, quàm sinistra, cerebro, in eo videlicet spatio, vnde tertia neruorum coniugatio prodit, omnes vicinae partes simul affici consueuerunt. Haec Galenus. Atqui regiones eae, à quibus oriuntur secunda & quarta neruorum copulae, proximae sunt origini tertiae coniugationis.

Ibidem.

COpus: Id autem per neruos non à tertia coniugatione, sed à ceruicis vertebris procedentes, efficitur. Nam hi, per totam penè faciem sparguntur, exigua ipsius parte excepta, quae à quinta coniugatione prodeuntes neruos suscipit, in suprema videlicet lati musculi parte.

te. Græcè legimus, οὐκ ἔτ' ἐπὶ τούτου παρὰ τῆς τρίτης συζυγίας τῶν νεύρων ἡκόντων, ἀλλ' ἐκ τῶν κατὰ τὸν τράχηλον σπονδύλων, εἰς ἅπαν ὀλίγου δεῖν, ὅτι μὴ κατὰ μέρος τι μικρὸν αὐτοῦ τῶν παρὰ τῆς πέμπτης συζυγίας ἐμφυομένων νεύρων, ἔνθα τὸ πλάτυσμα τὴν ὑψηλοτάτην ἔχει χώραν. *Quæ sic nos vertimus: Cæterùm latus ille musculus non recipit neruos à tertia coniugatione: sed nerui à ceruicis vertebris procedentes, in illum ferè totum disseminantur, exigua ipsius parte sublimiorique excepta, in quam deferuntur nerui à quinta coniugatione, &c. Sic autem esse vertenda hæc, colliges ex libr. 16. de Vsu partium, pagina 893.*

Pag. 498.

COpus: Sed in lumbis totus neruus ex superiori excidit vertebra. Vbi si transuersa eueniat vertebrarum luxatio, eadem secum trahens & spinam & neruum, illæsum seruat ipsius secundum naturam ortum. Græcè legimus, ἐπὶ δὲ τῆς ὀσφύος ὅλον τὸ νεῦρον ἐκπίπτει κατὰ τὸν ὑψηλότερον σπόνδυλον· ὥστε ἐνταῦθα μὲν, ἡ εἰς τὰ πλάγια ῥοπὴ τῶν σπονδύλων, ἑαυτῇ συναπάγουσα τόν τε νωτιαῖον αὐτοῦ, καὶ τὸ νεῦρον, ἄθλιπτον ἐργάζεται τὴν κατὰ φύσιν ἔκπτωσιν αὐτοῦ. *Quod sic clarius interpretabimur: In lumbis autem totus*

neru

neruus ex superiori excidit vertebra. Quare in eis sanè, transuersa spondylorum luxatio, vnà secum abducens & spinalem medullam & neruum, illæsum seruat ipsius secundum naturam ortum.

Pag. 502.

C*Opus: Nam in ijs magna ex parte totus thorax dilatari consueuit. Græcè,* ἐπὶ πλεῖστον γὰρ αὐτοὶ τὸν θώρακα διαστέλλουσιν ὅλον. *Quod est. Nam ij plurimum distendunt vniuersum thoracem.*

Pag. 510.

C*Opus: Quinetiam vitiari vocem haud obscurè cõtingit, quum vel acutior, vel maior redditur, ob id quòd fauces à suis musculis nequeant distendi, Græcè,* βλάπτεσθαι δ᾽ ἔτι συμβαίνει τὴν φωνὴν εἰς ὀξύτητά τε καὶ μέγεθος, οὐκ ἀφανῶς, κἀπειδὰν οἱ τοῦ φάρυγγος μύες ἀδυνατῶσιν συντείνειν αὐτήν. *Hoc est, Contingit quoque haud obscurè lædi vocem in acumen & magnitudinem, vbi etiam fauces à suis musculis contendi non possunt.*

Pag. 514.

C*Opus: Quòd si per inspirationem cuipiam narium pinnæ manifestè contrahi videãtur, id verò efficax prostrati roboris indicium est, Græcè,* ἥτις ῥὶς, καὶ κατὰ τὰς εἰσπνοὰς ἐναργῶς ἔχει προδιαστελλόμενα τὰ πτερύγια, σημεῖον περὶ τοῦτο μέγα δυνάμεως ἀῤῥωστούσης.

Hoc

Hoc eſt, Quæ nares per inſpirationes habent pinnas admodum dilatatas: id quod etiam magnum imbecillæ facultatis eſt ſignum.

Ibidem.

COpus. Ob ſpiritalium verò inſtrumentorum anguſtiam, totus quidẽ thorax magna ex parte & celeriter, & frequenter dilatatus. Sed qui ſic laborant, exufflare omnino non conſueuerunt. Græcè, ἐπὶ δὲ ταῖς στενοχωρίαις τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων, ὅλος μὲν ὁ θώραξ ἐπὶ πλεῖστον διαστέλλεται ταχέως καὶ πυκνῶς. τὴν δ' ἐκπνοὴν χωρὶς ἐκφυσήσεως οἱ κάμνοντες οὕτως ἴσχουσιν. *Quæ ſonant. Ob ſpiritalium verò inſtrumentorum anguſtiam, totus quidem thorax plurimùm dilatatur, celeritérque & frequenter. Expirationem tamen, qui ſic laborant, abſque efflatu perficiunt.*

Pag. 515.

COpus: Ac licet continenter ſpirare cogatur, non tamen exufflare ſolet: id enim aucti caloris proprium eſt. Græcè, καὶ διὰ τοῦτο συνεχῶς ἀναπνεῖν ἀναγκάζεσθαι χωρὶς ἐκφυσήσεως. ἴδιον γὰρ τοῦτο θερμασίας πολλῆς. *Hoc eſt, Ac proinde continenter ſpirare cogetur, abſque efflatione aliqua: id quod aucti caloris eſt proprium.*

Lib.

Lib. v. Pag. 528.

COpus: Iam ex iocinoris quoque affectu mori accidit, sed alia ratione, inedia scilicet. Græcè legitur, διὰ γοῦ ἀτροφίαν. Hoc est, ob atrophiam: quo affectu detenti, edunt quidem, sed ciborum vsu non promeuentur.

Ibidem.

COpus: Verùm hæ consentiente corde eueniunt. Græcè, ἀλλὰ καὶ αὖται γίνονται δηλονότι συμπασχούσης τῆς καρδίας. Quod est, Sed & ipsæ etiam fiunt corde lege consortij affecto.

Pag. 540.

COpus: Respirationis tempore. Græcè, κατὰ τὴν ἐκπνοήν. Hoc est, expirationis tempore.

Pag. 544.

COpus: Ita rursus intendi præcordia. Græcè, καθάπερ γε πάλιν ἀνασπᾶσθαι μὲν ὑποχόνδριον. Hoc est, Quemadmodum rursus reuelli quidem præcordia.

Ibidem.

COpus: Non incipiente videlicet affectu, sed quum paratus iam fuerit. Græcè, ἤδη καταστάντος μὲν τοῦ πάθους. Quod est, Iam constituto affectu.

Pag. 548.

COpus: *Nam ad propriam eius rationem pertinet, & appetentiã prohibere, & natantes cibos corrumpere: quemadmodũ id haud quaquàm fieri solet, quum cibi in ventriculi fundo firmantur. Gracè,* ἐπεί τοι κατὰ τὸν ἴδιον λόγον ἀνορεξίας τε καὶ διαφθορᾶς τῶν ἐπιπολαζόντων ἐργάζεται σιτίων. ὡς τά γ᾽ ἐν τῷ πυθμένι τῆς κοιλίας στηρίζεσθαι πεφυκότα, καὶ μάλιστα ὅτ᾽ ἂν ᾖ δυσδιάφθαρτα, τοιούτων οὐδὲν πάσχει. *Quæ ad verbum sonant. Quandoquidem propria quidem ratione fastidit cibos, eósque natantes corrumpit. Nam qui cibi in fundo ventriculi confirmantur, ac potissimùm si corrumpantur ægrè, nihil talium patiuntur.*

Pag. 549.

COpus. *Totum enim ventrem purgat, viresque reparat. Græcè,* καὶ ῥώννυσι πρὸς τὰς οἰκείας ἐνεργείας. *Hoc est, Atque ad proprias actiones corroborat.*

Pag. 553.

COpus: *Atque in pulmonis inflammatione erysipelatis participe, ardentes febres excitantur: quemadmodum vbi in vniuerso quoque corpore biliosi humores ad immoderatum feruorem perueniunt. Græcè;* ὥσπερ γε καὶ καθ᾽ ὅλον τὸ σῶμα, διὰ σηπεδόνα χυμῶν χολωδῶν εἰς ἄμετρον ζέσιν ἀφικομένων. *Hoc est,*

Quem

Quemadmodum etiam per vniuersum corpus, ob putredinem biliosorum humorum immodicè efferuescentium.

Pag. 568.

C Opus: *At fellis folliculus, vtpote cui nullum succurrit ab animali facultate præsidium, &c. Græcè,* ὡς ἂν οὐδὲν εἰς τὴν ἀπόκρισιν βοηθουμένην ὑπὸ δυνάμεως ψυχικῆς. *Hoc est, Ceu qui nihil iuuetur ad excretionem à facultate animali.*

Lib. VI. Pag. 570.

C Opus: *Neque aliarum partium vlla afficietur, in his qui aqua frigida vitiosa epota, mox aqua inter cutem corripiuntur. Græcè legitur,* ἐπὶ τῶν ἀθρόως καὶ ἀκαίρως ψυχρὸν ὕδωρ μοχθηρὸν πιόντων. *Hoc est, In ijs qui confertim, intempestiuéque aquam frigidam simul atque vitiosam bibunt.*

Pagina 577.

C Opus: *Verùm quum primùm eos vidissem, curationem à medicamentis, quæ vrinam ciere possent, tentaui, quam postea experientia comprobauit. Græcè,* ἀλλὰ τήν γε θεραπείαν ὅ πότε πρῶτον εἶδον, ἤλπισα διὰ τῶν οὐρητικῶν φαρμάκων ἔσεσθαι. καὶ οὕτως ἀπέβη. *Hoc est, Cæterùm curationem, vbi primùm eos vidi, per diuretica medicamenta speraui futuram. Atque ita successit.*

Pag.

Pagina 584.

COpus. *Paucis omnino interuallis vtraque excernuntur.* Græcè, ἀλλὰ ἐκρεῖ κατ' ὀλίγον ἀμφότερα. *Quod est, Sed paulatim vtraque effluunt.*

Pag. 589.

COpus. *Quæ mulieribus ad pariendum à natura data est.* Græcè legimus, τὸ πρὸς τὴν κύησιν. *Hoc est, Ad conceptionem.*

Pag. 590.

COpus. *Itaque pereunte ob vteri affectum spiratione, quoniam vniuersum corpus refrigeratur, (id enim manifestè videtur) fieri potest, vt nulla prodeat ab ore spiratio, quanuis ea quæ in arterijs fit, nequaquam intercipiatur.* Græcè, ἐγχωρεῖ τοίνυν ἐπὶ τῆς ὑστερικῆς ἀπνοίας, ἐπειδὴ καταψύχεται τὸ πᾶν σῶμα (φαίνεται γὰρ ἐναργῶς τοῦτο) τὴν μὲν διὰ τοῦ στόματος ἀναπνοὴν μηδόλως γίγνεσθαι, τὴν δὲ διὰ τῶν ἀρτηριῶν, γίγνεσθαι. *Quod sic ad verbum reddidimus: Fieri autem potest, vt pereunte ob vteri affectum spiratione, quandoquidem tunc totum corpus perfrigeratur (id quod euidenter apparet) minimè quidem fiat per os respiratio, transpiratio autem, quæ fit per arterias seruetur.*

Pag. 593.

COpus. *Ac sanorum modo educatus.* Græcè, διῃτημένῳ τε κατὰ πάντα τρόπον ὑγι-

ειυῶς. Hoc est, Salubríq; secundum omnia vsus victus ratione.

Pag. 594.

COpus. Aut præ marcore fœdum, molestúmq; reddit odorem. Græcè, ἢ σηπεδόνος ἀνιαρῶς ἀπόζει τὸ σῶμα. Quod est, Aut putredinis grauem odorem referens.

Pag. 597.

COpus. Ea esse censetur vasorum ad ipsum peruenientium & plenitudo & suspensio. Græcè legitur, ἡ τῶν πρὸς αὐτὰς καθηκόντων ἀγγείων ἡ πλήρωσις, ἅμα τοῖς ἀρτήμασιν αὐτῶν. Hoc est, Vasorum ad ipsum peruenientium, appendicúmq; eorum, plenitudo. Sic nãque legendum esse, indicat dictio sequens: quæ est talis: Itaque multiplicatus sanguis in venis, eas extendit, atque vicinas ipsis appendices. Nam vbi interpres conuertit vincula, codex Græcus codex ἀρτήματα.

Ibidem.

COpus. Igitur si æqualiter vndique trahantur, recta erit, & sine inclinatione ipsorum transmutatio. Si verò inæqualiter, ad partem vehementius trahentem intenduntur. Græcè, ἐὰν μὲν οὖν ἰσοῤῥόπως ἕλκονται πανταχόθεν, ἀπαρέγκλιτος αὐτῶν ἡ μετάστασις γίγνεται. ἐὰν δὲ ἑτεροῤῥόπως, πρὸς τὸ μᾶλλον ἕλκον ἐκτείνονται. Quæ sonant. Si igitur æqualiter vndiq; trahatur vterus (apud Græ-

cos

eos enim αἱ μῆτραι in plurali significant vterum) recta erit ipsius transmutatio. Si verò inæqualiter, ad partem vehementius trahentem, intenditur.

Pag. 599.

COpus. Nonnullis panus in extrema ilium parte excitatur, veluti viris quoque eodem in loco nonnunquam oriri solet. Qui vbi suppuratus aliquando fuerit, secari debet. Atque hanc partem siue membrum suppuratum dissectúmque vidimus, interdum ignorantibus Medicis inexpertis quid inciderent: interdum verò intelligentibus quoque. Atq; omnia membra ita suppurata facilè curantur. Græcè legimus, ἐνίαις δὲ καὶ φυματώδης ὄγκος ἐγείρεται, κατὰ τὸ πέρας τοῦ κενεῶνος, εἴσι καὶ τοῖς ἀνδράσι γίγνονται κατὰ τὸ χωρίον τοῦτο. Καί τινι διεπύησεν, καὶ τομῆς ἐδεήθη. Κατὰ τοῦτο γοῦν τὸ μέρος, καὶ κῶλον οἴδαμεν ἐκπυήσαντά τε καὶ τμηθέντα, ἐνίοτε μὲν ἀγνοούντων, ὃ τέμνουσιν, τῶν ἀπειροτέρων ἰατρῶν. ἔστι δ' ὅτε καὶ γιγνωσκόντων. Καὶ πάντ' ἰάθη τὰ οὕτω ἐκπυήσαντα κῶλα ῥᾳδίως. *Quæ sic nos vertimus,* **Nonnullis autem panus in extrema ilium parte excitatur, quales viris quoque eadem in parte nonnunquam oriri solent. Cuidam verò fuit suppuratus, ac proinde sectione fuit opus. Iuxta hanc ipsam partem vidimus colon intestinum, & suppura-**

tum, & sectum, interdum ignorantibus Medicis inexpertis, quid inciderent: interdum verò intelligentibus quoq;. Quoties autem sic suppuratum fuit colon, facilè curationem recepit, &c. Miror autem Copum, alioqui virum citra controuersiam doctissimum hoc in loco peruertisse Galeni sententiam, cuius nimirum similem, libro tertio de Locis affectis. Pag. 371. quàm rectissimè in hunc modum transtulerat, Iam ortum supra inguina panum, ac suppuratum, quum Medicus incideret, stercus subsecutum, in colo abscessum esse declarauit.

Pag. 606.

C*Opus. Quippe eodem tempore omnes totius animalis arteriæ, inter sese similiter producuntur. Græcè, διαστέλλονται, hoc est, dilatantur.*

Lib. I. de Differentiis febrium.

Pag. 611.

L*Eonic. Ac nihilo minus in corde ipso, vt quæ ad idem confluat cum omnibus ipsis. Græcè, ὡς ἂν σύῤῥους ὑπάρχουσα πάσαις αὐταῖς. Quod est. Ceu confluxile & conspirabile cum vniuersis arterijs.*

Pagina 613.

L*Eonic. Ex quarum numero febris est vna, quoniam in corde quædam præter naturam caliditas generatur. Græcè legitur, ἐπειδὰν ἐν τῇ καρδίᾳ. Hoc est, Vbi in corde, &c.*

Pag.

Pag. 614.

LEonic. *Ira autem est, veluti quidam feruor ac vehemens motus potentiæ irascibilis in ipso cordis corpore sita. Græcè legitur,* καθιδρυομένης *: hoc est, collocatæ : sic vt participium hoc referat non iracundiam, sed irascibilem facultatem, quæ in corde suam sedem sortitur.*

Pagina 615.

LEonicen. *Quoniam autem constringi terminum exteriorem, aut obstrui penitiorum partium meatus contigerit. Græcè legitur,* ἐπεὶ δ᾽ ἂν δὲ. *Sed legendum est,* ἐπειδὰν δὲ, *hoc est, Vbi verò, &c.*

Pagina 616.

LEonicen. *In obstructionibus quidem foraminum. Græcè legitur,* τ͂ πόρων, *hoc est, meatuum.*

Ibidem.

LEonicen. *Quoniam non bene continentur. Græcè.* μηκέτι κρατούμενοι. *Quod est, Quũ neque amplius vincantur.*

Ibidem.

LEonicen. *Propterea autem, quicunq; cibi glutinosi sunt ac crassi, sunt magis morbis obnoxij. Græcè,* διὰ τοῦτο καὶ ὅσα γλίσχρα, καὶ παχύχυμα τ͂ ἐδεσμάτων νοσω-

διέσϐα. Hoc eſt, Idcirco quicunque ex cibis lenti & craßi ſunt ſucci, iJ magis morbifici exiſtunt, &c. Humana ſiquidem corpora dicuntur obnoxia morbis: cibi autem, vel morbifici, vel ſalubres.

Pag. 617.

L*Eonicen. Ex quibus omnibus ſimul cor affici eſt neceſſarium. Græcè,* οἷς ἅπασι συνδιατίθεσαι τὴν καρδίαν, ἀναγκαῖον ἐστι. *Hoc eſt. Cum quibus omnibus ſimul cor affici eſt neceſſarium.*

Pag. 630.

L*Eonicen. Sicuti in his qui non tempore frigidam bibunt. Græcè,* ἀκαίρως, *hoc eſt, intempeſtiuè.*

Pag. 633.

L*Eonicen. Et quidem ſæpius commouēt, dormitantium more. Græcè legitur,* καὶ μέντοι καὶ μύσσι, ὡς τὰ πολλά. *Hoc eſt, Ac ſanè ſæpius conniuent.*

Pag. 635.

L*Eonicen. Omnibus ſiquidem hecticis febribus hoc inſeparabile adeſt indicium, allato cibo quidem, febrem accendi. Græcè legitur,* ἀνάπτεσαι μὲν τὴν θερμασίαν. *Hoc eſt, Caliditatem quidem accendi.*

Pag. 636.

L*Eonicen. In omnibus ſiquidem febribus alijs huiuſcemodi introitus etiam præter*

cibum

cibum assumptum, fiunt incompreßi. Græcè, legitur, ἀσβολαὶ ἄθλιπτοι. Hoc est, inconcußi insultus.

Pag. 637.

L*Eonicen. Si enim aquam frigidißimam miscueris. Græcè legitur, καταχέῃς, hoc est, infuderis.*

Libr. II. de Differentiis febrium.

Pag. 644.

L*Eonicen. At in tertianis quidem, causam à qua prouenit, rei quodammodo pungentis, ac ferientis sensum repræsentat: in quartanis autem, refrigerantis. Græcè, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν τοῖς τριταίοις οἷον νύττοντός τε καὶ τιτρώσκοντος, τὴν αἴσθησιν ἐνδείκνυται τοῦ ποιοῦντος αἰτίαν. τό γε ἐν τοῖς τεταρταίοις, οἷον ψύχοντος. Hoc est, Sed qui in tertianis accidit rigor, ceu rei cuiusdam pungentis atque ferientis sensum causæ repræsentat: qui in quartanis autem, tanquam refrigerantis.*

Ibidem.

L*Eonicenus. Atque in pluribus circuitibus continentur. Græcè additur, ταῖς κατὰ μέρος. Hoc est, In pluribus particularibus circuitibus.*

Pag. 646.

L*Eonicenus. Ac secundæ acceßionis festinat inuasio. Græcè, καὶ τοῦ δευτέρου*

παροξυσμȣ̃ πρωιαίτερ@ ἡ εἰσϐολή. *Hoc est, multò magis festinat insultus: siue anticipat.*

Pag. 647.

LEonicen. *Quicquid optimum fieri contigerit. Græcè,* ὅσον ἂν ἐγχωρῇ γενέσθαι χρηστόν. *Hoc est, Quicquid potuerit corrigi.*

Pag. 657.

LEonicen. *Sic & hemitritæus dimidiā eius partem habet tertianam. Græcè habetur,* ἑαυτȣ̃, *hoc est, sui ipsius.*

Pag. 661.

LEonicen. *Estq; tardi ac difficilis motus, frigida ac lenta existens materia. Græcè legitur,* ἀργȣ̃ καὶ δυσκινήτȣ, καὶ ψυχρȣ̃, καὶ βραδυπόρȣ τὴν φύσιν ὑπάρχοντ@. *Quod est, Quum nimirum is humor piger, ægrè mobilis, frigidus, ac naturaliter tardè permeans existat.*

Pag. 663.

LEonicenus. *Nam ex his quæ de biliosa & pituitosa febre simul commistis conscripsimus, licet & hæc ad atræ bilis humorem transferentem, eius cum vtraque illarum complexionem ac confusionem pariter coniecturari. Græcè legimus,* ἐπὶ τὸν μελαγχολικόν. *Hoc est, Ad melancholicam febrem.*

Pag.

Pag. 665.

L*Eonicen. Externa autem corrumpere, quod est putrescere. Græcè,* ὅπερ ἐστι σήπειν. *Hoc est, Quod est putrefacere.*

Ibidem.

L*Eonic. Calor autem extrinsecus sanguinem opprimit. Græcè,* ἔξωθεν δὲ θερμότης ἐπιγίγνεται τῷ αἵματι. *Hoc est, incalescit autem externo calore sanguis.*

Pag. 666.

L*Eonicen. Quod ex his humoribus, qui carbunculi appellantur, cõtingit. Græcè,* ὥσπερ ἐπὶ τῶν καλουμένων ἀνθράκων, *&c. Nempe, Quemadmodum in vocatis carbonibus.*

Pag. 668.

L*Eonicen. Inflatur. Græcè,* ἐκφυσᾶται. *Hoc est, efflatur.*

Pag. 669.

L*Eonicen. Ita & in interioribus quæcunq; non videntur eandem proportionis similitudinem seruare, fieri concipiendum. Græcè,* οὕτω χρὴ νοῆσαι ἐπὶ τῶν ἐντὸς, ὅσα μὴ φαίνεται, τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν σωζομένην ἔχοντα. *Hoc est, Sic oportet imaginari etiam in interioribus, quæcunq;, quum non sint obiecta visui, eandem tamen analogiam salubrem perpetuò seruant.*

Ibidem.

LEonicen. *Et meatus qui materiam inutilem excernunt. Græcè legimus,* ἐξοχετεύοντες, *hoc est, deducentes. Siquidem non meatus, sed facultas ipsa expultrix excernit.*

Pagina 673.

LEonicenus. *Quia videlicet humor, quem proprius calor non obtinet, nihil habet reliquum. Græcè,* ἔτι τε τὸ μὴ κρατούμενον ὑγρὸν ὑπὸ τῆς οἰκείας θερμότητος, ὑπόλοιπον ἔχει, *&c. Hoc est, Et quia humori, qui à proprio calore non vincitur, nihil amplius superest, nisi, &c.*

Pag. 677.

LEonicen. *Neque etiam omnibus æqualiter accendi aut dissolui contingit. Græcè legitur,* προσήκει. *Hoc est, oportet.*

Pag. 678.

LEonicen. *Vt febris accendatur. Græcè,* καὶ πυρετὸν ἐξάπτειν. *Hoc est, Ac febris accendatur.*

Pag. 679.

LEonicen. *Sed id solum, quod ita est extenuatum, & in subtilioris vaporis naturam transierit. Græcè,* ὡς εἰς ἀτμοῦ λεπτοῦ μεταστῆναι φύσιν. *Hoc est, vt in tenuis vaporis naturam transierit.*

Pag.

Pag. 680.

Leonic. Quidam feruentium humorũ dif-flatus. Græcè additur, ὄσα, Hoc est, Exi-stens.

Pag. 681.

Leonice. Quod qui putrescere incipit hu-mor, in aliquo membro consistit. Græcè le-gitur, ἕτερον ὑπάρχειν. Hoc est, Alter, siue di-uersus, existit.

Libro de Arte Medicinali.

Pag. 706.

Leonic. Et insalubrium. Græcè, καὶ νοσω-δῶν. Hoc est, Et morbidorum.

Pag. 709.

Leonic. In vno autem tempore, quod ita est neutrum, consistere nequit. Græcè ad-ditur, ἀκριβῶς μὲν, &c. Hoc est, Accuratè quidem nequit consistere.

Pag. 713.

Leonicenus: In hac enim necesse est, vt po-steriores, prioresve partes. Græcè legitur, τά τε ὄπισθεν, καὶ τὰ ἔμπροσθεν. Hoc est, Poste-riores prioresque partes.

Pag. 715.

Leonice. Mediique sunt inter eos qui om-nino sunt crispi, & simplices. Græcè cor-ruptè legitur, καὶ ἁπλῶν, pro ἁπαλῶν, Hoc est, lenes.

Pag.

Pagina 716.

LEonicen. Capilli quoq; in his statim in lucem editis, habent in capite ortum. Græcè habetur. ταχέως ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φύονται. Hoc est, Celeriter generantur.

Pag. 718.

LEonicen. Implentur verò, atq; aggrauantur eorum capita à calidis. At si humectentur, tunc multò magis excrementorum habent multitudinem. Græcè, εἰ δὲ καὶ ὑγραίνοιντο, πολὺ δήπου μᾶλλον ἐνίκα καὶ πλῆθος ἴσχουσι περιττωμάτων. Hoc est, Quod si humectentur etiam, tunc multò magis, præcipuè dum excrementorum copia redundant.

Pag. 720.

LEonicen. Paruitas verò oculorum, adiuncta quidem concinnitate, ac virtutum operatione. Græcè, καὶ τῇ τῶν ἔργων ἀρετῇ. Hoc est, Et operationum virtute.

Pag. 723.

LEonicen. Ad actiones autem prompti sunt, & iracundi, & impudentes. Græcè legitur, καὶ ταχεῖς, hoc est, celeres, non impudentes, quod interpres vertit.

Pag. 725.

LEonicen. Sed de insitis vnicuique, ac naturalibus nos exposuisse. Legendum tamen est, Sunt à nobis exposita. Alioqui non rectè fluit oratio, si illinc eam deducas, vbi Galenus ait,

ait, Quod quæcunque, &c.

Pag. 735.

L*Eonicenus: Dictum verò est in tertio de Causis accidentium, quòd cuiusque potentiæ virtus & vitium, temperatura principalis existit. Græcè habetur,* εἴρηται δ' ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῶν ἐν τοῖς συμπτώμασιν αἰτίων, ὡς τῆς ἑκάστης δυνάμεως ἀρετῆ τε καὶ κακία, ἡ προηγουμένη κρᾶσις ἐστιν. *Quæ iudicio meo sic sunt vertenda, Dictum autem est in tertio de Symptomatum causis, quòd ipsius potentiæ virtus & vitium, à temperie præcedente oritur.*

Pagina 736.

L*Eonic. Ad imum vētriculi locum, quem Græci pyloron vocant. Græcè,* ὡς τὸν πυλωρόν. *Hoc est, Ad imum orificium ventriculi, qui ianitor appellatur.*

Pag. 746.

L*Eonice. Horum autem singulorum, quæ dicta sunt, qualitas in ipsa corporis constitutione est eligenda. Græcè habetur,* ἐπὶ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς. *Hoc est, in optima constitutione.*

Ibidem.

L*Eonic. Alteram verò eam, quæ ad optimam transferunt. Græcè.* ἑτέραν δὲ τὴν ἐπὶ τὴν ἀρίστην ἀγόντων. *Hoc est, Alteram verò earum, quæ ad optimam ducunt.*

Pag.

Pag. 751.

L*Eonicenus: Alias quidem esse salubres causas eius temperaturæ. Græcè legimus, δυσκρασίας. Hoc est, intemperantiæ.*

Pag. 754.

L*Eonic. Atque ad illas impellemus, quæ nullum habent principatum. Græcè, ὀρεθίσομεν δ' τὰς, εἰς μὴ κυριώτατα. Hoc est, Irritabimus autem illos, qui ad partes minimè principes, scilicet ducunt.*

Pag. 757.

L*Eonic. Intentio tamen, quoad fieri potest, curationem adhibere, ad contrariū euersionis adducendo. Græcè habetur, ὅσα μὲν οὖν ἐν πνεύμονί τε καὶ θώρακι περιέχετ. μετὰ βηχῶν μὲν ἡ κένωσις, ὑπὸ δ' φαρμάκων λεπτυντικῶν. Quod est, Quæcunque igitur in pulmone, atque thorace ambiuntur, cum tussi sanè expurgantur, sed à medicaminibus extenuantibus.*

Ibidem.

L*Eonic. Aut per vrinam, aut per ventriculum. Græcè, ἡ γαστὴρ. Hoc est, Aut per aluum. Nam ventriculus, siue ἡ κοιλία, ventrem superiorem significat: quemadmodū ἡ γαστὴρ, inferiorem.*

Pag. 760.

L*Eonic. Prius à parte repellendum: Mox dispergendum. Græcè, ἀπωθεῖσθαι τὸ μέρους*

ρυς προτερον, ἢ διαφορᾶν ἐπιχειρεῖν. *Hoc eſt, Prius debes repellere à parte, quàm aggrediaris diſcutere.*

Pag. 764.

LEonicenus. *Hæc igitur omnia ſanare poßibile eſt. Græcè legitur,* σχεδὸν δυνατὸν ἐστιν. *Hoc eſt, Propemodum eſt poßibile.*

Pag. 765.

LEonicenus. *Quare & duplex ſanandi modus: Alter quidem ad oppoſitam partem ei à qua facta eſt permutatio, intendendo, atque impellendo: Alter verò, id quod continet, firmius ſolidiúſque reddendo. Græcè,* ὥστε καὶ ἡ ἴασις τῶ μὲν δὴ ἀντιτάσεως τε, καὶ διὰ εἰς τοὐναντίον, ἢ παρήλλαξεν, ὥσπερ. τῶ δὲ, ἐκ τοῦ στερρὸν ἐργάσασθαι τὸ περιέχον. *Hoc eſt, Quare & curatio ipſa, in illa quidem (hoc eſt, in luxatione) fiet, ad oppoſitam partem ei, ad quam facta fuit permutatio, impellentibus nobis. In altera verò (hoc eſt in enterocele) id quod continet, firmius ſolidiúſq; reddentibus.*

Libro, Quomodo ſimulantes morbum, ſint coarguendi.

Pag. 771.

FIcardus: *Quando ex indigeſtione. Græcè,* ἐξ ἀπεψιῶν. *Hoc eſt, ex cruditatibus.*

SECTIONE QVINTA.

Lib. II. de Medendi methodo.

Pag. 45.

LInacer: *Nyctilopa dicunt. Græcè legitur, νυκτάλωπα, hoc est, nyctalopa. Dicitur autem nyctalops, qui noctu cæcus est, quum clarè interdiu cernat. Plin. libro 8. capit. 50. huius voculæ meminit, dicens: Restituit vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant.*

Pag. 67.

LInacer: *Quippe ipsam sequentis siue agendi insinuationem. Græcè, τὴν γὰρ οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας. Hoc est, Ipsam veluti consequutionis imaginem.*

Lib. III. Pag. 115.

LInacer: *Sin siccior debito particula tantò fuerit, quantò corporis temperamentum iusto est humidius: Græcè habetur, εἰ δὲ πλέον ἂν ᾖ τὸ μόριον τοῦ μετρίου ξηρότερον, ἢ ὅσῳ τοῦ σώματος ἡ κρᾶσις ὑγροτέρα. Hoc est, At si particula fuerit siccior iusto, quàm corporis temperamentum sit iusto humidius.*

Lib. IIII. Pag. 144.

LInacer: *Exiguorum status mutatio. Græcè, μεταποροποιήσεως. Hoc est, Transmutationis meatuum.*

Lib.

Lib. V. Pag. 171.

LInacer: Præsertímque per angustas, vel principes particulas. Græcè, καὶ μάλιστα διὰ στενοχωρίας τινάς. *Hoc est, Et præcipuè per angustias quasdam.*

Lib. VIII. Pag. 285.

LInacer: Itaque si iam præsens febris est, &c. Græcè, εἰ μὲν οὖν ἤδη γεγονότες εἶεν οἱ πυρετοί. *Hoc est, Si igitur genitæ iam febres fuerint.*

Pag. 317.

LInacer: Alteram, quæ ex ipsorum quæ indicantur, dignitatibus censeatur. Græcè, ἕτερον μὲν αὐτοῖς τοῖς τῶν ἐνδεικνυμένων ἀξιώμασι μετρούμενον. *Hoc est, Alteram, quæ ex indicantium dignitatibus spectatur. Huic versioni nostræ subscribitur, quod habetur lib. XI. pag. 394. Perpensis scilicet indicantium scoporum tum magnitudine, tum dignitate.*

Pag. 394.

LInacer: Perpensis scilicet eorum quæ indicent. Græcè additur σκοπῶν, *hoc est, scoporum.*

Lib. XII. Pag. 433.

LInacer: Quod ad dolores ex sensus torpore sedandos, nullo minus est celebre. Græcè, οὐδενὸς ἧττον ἔνδοξον ὀδύνας πραΰναι ναρκῶσαν τὴν αἴσθησιν. *Hoc est, Quod ad dolores*

ſedandos ſtupefaciendo ſenſum, nullo minus eſt celebre.

Pag. 442.

L*Inacer: Nam ſi imbecillum illi caput eſt, & quod facile calentibus vinis impleatur, &c. Græcè legitur,* ὑπὸ τῶν θερμῶν οἴνων. *Hoc eſt, A calidis vinis. At multa frigida vina facile incaleſcere poſſunt, ſi videlicet igni admoueantur.*

Lib. XIII. Pag. 490.

L*Inacer: Imò poſtea quàm vniuerſum corpus vacuaueris, ac neceſſarium eſt, eorum quæ in inflammata parte continentur, aliquid educas. Græcè,* ἀλλ᾽ ἐπειδὰν ὅλον τὸ σῶμα κενώσῃς, καὶ χρεία σοι γένηται κενῶσαί τι, καὶ ἐκμοχλεῦσαι τῶν κατὰ τὸ φλεγμαῖνον. *Hoc eſt, Sed poſteaquàm vniuerſum corpus vacuaueris, vtiléque fuerit, eorum quæ in inflammata parte continentur, aliquid etiam educere.*

Ibidem.

L*Inacer: Generandis autem adhuc vitiis. Græcè,* γινομένων δ᾽ ἔτι τῶν παθῶν. *Hoc eſt, Vbi verò affectus etiamnum in generatione conſtant.*

Lib. XIIII. Pag. 529.

L*Inacer: His verò etiã picari cõmodum eſt: idq; tertio aut quarto quoq; die. Græcè,* διʼ ἡμερῶν ἤτοι τριῶν, ἢ τεττάρων. *Quod eſt, Curriculo triũ, aut quatuor dierũ. Cum qua le-*

ctio

ctione in vnũ cõſpirat ſentẽtia illa, quæ paulò pòſt habet in hunc modũ: Ergo neq; aßiduè id ægrotanti corpori admouere cõueniet: nec quum conueniet, ſæpe illinire: verùm in hyeme bis: in æſtate ſemel id feciſſe, eſt ſatis. Vnde liquet, ex ſententia Galeni, minimè quidem tertio, aut quarto quoq; die illos ægros picãdos eſſe: ſed ſemel quidẽ æſtate: bis autẽ hyeme: ſic tamen vt ſingulæ vices triduũ, aut quatriduũ occupent.

Pag. 531.

L*Inacer: Membranulam mollẽ firmámq; cuti gummi illitæ circumuoluens. Græcè additur, χάρτου. Hoc eſt, ex charta mẽbranulã.*

Lib. 1. de Arte curatiua ad Glauconem.

Pag. 7.

L*Eonic. Et oculorũ motus manifeſtus. In excuſis exẽplaribus Græcis legitur δήλαι. Vetuſtißimus autem manu ſcriptus habet δηλοῖ. Vt ſit ſenſus, Oculorum etiam motus indicat. &c. Nã quî fieri poteſt, vt manifeſtus ſit in eis oculorum motus, quum vix poßint (quod poſtea ſubditur) palpebras ipſas attollere?*

Pag. 14.

L*Eonic. Nam quæ velociter fiunt, ac celeriter ad ſtatum veniunt, &c. Græcè legitur, τὰ μὲν γὰρ ὀξέα. Hoc eſt, morbos acutos.*

Pag. 17.

L*Eonic. Non igitur notæ, minimèq; exquiſitæ febres diuturnæ ſunt, vt quotidianæ,*

& quartanæ. Græcè, οὐκ οὖν οὐδὲ χρόνιοι ὁμοίως τεταρταίῳ, καὶ ἀμφημερινῷ οἱ οὐκ ἀκριβεῖς. *Hoc est, Non igitur, queadmodum exquisitæ quotidianæ & quartanæ, sic etiam non exquisitæ sunt longæ.*

Pag. 29.

L*Eonic. Atque ideò vehementes euacuationes, quæ ex matricibus fiunt, cucurbitulæ mamillis appositæ statim sedant. Græcè,* αἱ παρὰ τοὺς τιτθοὺς προσβαλλόμεναι. *Hoc est, Iuxta mammas applicitæ. Debent itaque, dum sic reuellere est animus, non ipsis mamillis, sed radici earum, cucurbitulæ ipsæ applicari, si qua fides medicorum decretis sit adhibenda.*

Pag. 37.

L*Eonic. An calidæ sint, an vrentes. Græcè,* καὶ διακαεῖς. *Hoc est, Atque vrentes.*

Ibidem.

L*Eoni. Ac submersæ quodammodo. Græcè,* οἷον σμυχόμεναι. *Quod est, Veluti fumigantes.*

Pag. 38.

L*Eoni. Sed ante crisis perturbationẽ. Græcè,* ἀλλ᾽ ἐν τῇ πρὸ τῆς κρίσεως ταραχῇ. *Hoc est, Sed in ipsa ante crisim perturbatione.*

Ibidem.

L*Eonic. Nam si quod in eo membrum agitatur. Græcè,* εἰ γὰρ καὶ πάλλοιτό τι τῶν

ἐν

ἐν αὐτῷ μορίων. Hoc est, Etenim si quæ in ipsa facie pars palpitet.

Lib. II. Pag. 42.

L*Eonic. Nam ex duabus speciebus, quæ quidem nuper dictæ sunt, altera &c. Græcè legitur, τ̃ γδ ἄλλων δυοῖν εἰδῶν, τὸ μὲν ἤδη προειρημένον. Hoc est, Aliarum verò specierum duarum, hæc quidem, cuius nuper mentionem fecimus.*

Ibidem.

L*Eonic. Sed minus calida & acri, quàm sit prior. Græcè, ἢ οἱ πρόσθεν. Hoc est, Quàm illæ species priores.*

Pag. 46.

L*Eonic. Sufficit autem in huiuscemodi affectibus, vehementiam doloris mitigare, cum aliquo ex his, quod ex vino dulci, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in vtroque sit liquata, cõficitur. Græcè legimus, ὅσα διὰ γλυκέος τε καὶ ῥοδίνου, καὶ κηροῦ βραχέος, ἐν ἀμφοῖν τετηκότος, σύγκειται. Hoc est, Quæ ex passo, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in vtroque liquata sit, constant.*

Pag. 48.

L*Eonicenus: Herpetes autem, quantum ad totius corporis euacuationem attinet, vt erysipelata curare oportet. Quantum verò ad ipsius particulæ patientis locum, &c. Græcè, τὰ δὲ περὶ τὴν αὐτοῦ τοῦ πεπονθότος μέρους.*

Hoc est, Quantum verò ad eam, quæ patienti debetur particulæ.

Pag. 51.

L*Eonic. Aut mamillis cucurbitas apposueris. Græcè,* ἢ παρὰ τοὺς τιτθούς. *Quod est, At iuxta mamillas.*

Ibidem.

L*Eonic. Et cucurbitulas coxis applicueris. Græcè legitur,* μηροῖς. *Quod equidem mallem vertere inguinibus, aut feminibus.*

Pag. 52.

L*Eonicenus. Ac coniunctis euacuatio facienda est. Græcè,* ἀπὸ τῶν ὁμοζύγων. *Hoc est, à coniugatis.*

Pag. 54.

L*Eonicenus. Iam verò, & qualitates quædam extraneæ. Græcè,* ἄτοποι. *Hoc est, insolentes.*

Pag. 71.

L*Eonic. Igitur emplastica omnino medicamenta, quale est Macharionis, & Epigoni, & quod Isis cognominatur, vbi ad emmotorum vsum deducuntur, cerati indigent admistione. Nempe hæc ad sinus vtilia sunt. Græcè legitur,* ὅσα τοίνυν ἐμπλαστικὰ φάρμακα τελέως ὄντα, καθάπερ τό τε τοῦ Μαχαιρίωνος, καὶ τὸ τοῦ Ἐπιγόνου, καὶ τὸ προσαγορευόμενον Ἶσις, εἰς τὴν τῶν ἐμμότων χρῆσιν ἀγόμενα, κηρωτῆς μιγνυμένης δεῖται. ταῦτα

γὰρ

γῦ ἐπιτήδεια τοῖς κώλποις ὄντι. Hoc est, Quæcunque igitur exquisitè emplastica medicamēta quum sint, quale existit quod ad Machærionem, Epigonúmque refertur, quódque Isis cognominatur, vbi deducuntur ad emmotorum vsum, cerati miscella indigent. Ea enim ad sinus vtilia sunt.

Pag. 78.

LEonic. *Quæ à natura purgationem non habent. Græcè, ὅσαι μηκέτι καθαίρονται, τὴν κατὰ φύσιν κάθαρσιν. Hoc est, Quæ naturali sua purgatione priuantur.*

Pag. 80.

LEonic. *Paßiones insequuntur. Græcè, συμπάθειαι ἕπονται. Hoc est, Per cōsensum afficiuntur continuæ partes.*

Ibidem.

LEonic. *Quum prope loca mortalia fit insignis adustio. Græcè legitur, ὅταν ἐγγὺς καίωμεν μορίων. Sed legendum est, κυρίων. Hoc est, propè principales particulas.*

Pag. 82.

LEonic. *Hæc quidem ad te missa, qui longè peregrinaturus eras, mediocriter se habere visa sunt. Græcè, ταῦτα μὲν οὖν εἰς ἀποδημίαν σοι μακρὰν στελλομένῳ, νομίζω συμμέτρως ἔχειν. Hoc est, Atque hæc quidem arbitror tibi esse abundè, qui ad longam profectionem accingeris.*

Lib. de Curandi ratione per venæ sectionem.

Pag. 90.

THeodoricus Gerardus: *Quoniam autem calida simul, humidáque omnia, facillimè putrescere apparent.* Græcè, τάχιστα. hoc est, celerrimè.

Pag. 98.

THeod. *Neque enim vbi tanta crudorum humorum copia accumulata est, vt secādam venam præcipiat, ratio redarguitur. Nam istis virium robur non adest. Estq; hoc indicium, eos haud posse sanguinis missionem perferre, quando vnà cum colore corporis totius, qui tum visitur, sanguinem abundantem indicante, pulsus adest inæqualis, aut in vehementia & magnitudine per inæqualitatem eius obscurus & paruus exuperant.* Græcè legimus, οὐδὲ γὰρ ὁ πότε πλῆθος ὠμῶν χυμῶν ἤθροισται τοιοῦτο, ὡς κελεύεσθαι φλεβοτομεῖν, ὁ λόγος ἐλέγχεται. ῥώμη γὰρ τούτοις δυνάμεως οὐ πάρεστι. καὶ αὐτό γε τοῦτ' ἐστι γνώρισμα τοῦ μὴ δύνασθαι φλεβοτομίαν ἐνεγκεῖν αὐτοὺς, ὅταν ἅμα τῷ χρώματι τοῦ παντὸς σώματος ἐκπεπτωκότι τοῦ δηλοῦντος αἷμα πλεονάζειν. ὁ σφυγμὸς ἀνώμαλος ἢ κατὰ σφοδρότητα καὶ μέγεθος, ἐπικρατούντων κατὰ τὴν ἀνωμαλίαν αὐτοῦ τῶν ἀμυδρῶν τε, καὶ μικρῶν, &c. Cæterùm vbi legitur κελεύεσθαι, legendū est, κωλύεσθαι.

Vt

Vt sic totam illã orationem (quæ veluti responsio quædam ad obiectiones tacitas est) conuertamus: Neque verò vbi tanta crudorũ humorum copia accumulata est, vt secandam venã prohibeat, sermo hic redarguitur. Nã istis virium robur non adest. Estq; indicium, eos haud posse sanguinis mißionem perferre, quòd præter colorem totius corporis, degenerantẽ in ipsis ab eo, qui solet sanguinis copiam ostendere, etiã eorum pulsus inæqualis in vehementia & magnitudine existit, præpollentibus secundũ ipsam inæqualitatem imbecillis simul & paruis. &c. Hanc versionem cõfirmant, quæ Galenus paulò post subdit in hunc modum: Habebis eorum indicium, tum colorem plumbeum, aut ex pallido album, omniáque potius, quàm rubrum.

Pag. 99.

T*Heod. Geminam me vacuationis viam proponere nostis. Per vacuationem quidem, &c. Græcè legitur,* διὰ φλεβοτομίας μὲν. *Hoc est, Per venæ quidem sectiones.*

Pag. 105.

T*Heod. Nec verearis multum detrahere, si rubrior, flauióq; multò fluat: aut pro puro aut rubro, liuidus. Græcè habetur,* καὶ μὴ ὀκνεῖν συχνὸν ἀφαιρήσειν, ἔστ' ἂν ἐρυθρότερόν τε καὶ ξανθότερον πολὺ ῥυῇ, ἢ ἀντὶ καθαροῦ τε καὶ ἐρυθροῦ πελιδνόν. *Hoc est, Nec verendum est, multum detrahere, donec rubicundior, lon-*

géque flauior effluat: aut pro puro & rubro liuidus. &c. Siquidem constituit signum Hippocrates (vt idem Galenus testatur) quòd aliquid sanguinis è phlegmone in venam sectã assumptum sit, per mutationem ipsius.

Pag. 107.

THeod. Sic affecto liene, haud æquè adiuuerit circa medium digitum sinistræ manus incisa vena. Græcè, οὕτω τοίνυν καὶ σπληνὸς πάσχοντος ἡ τῆς κατὰ τὸν παρὰ μέσον δάκτυλον φλεβὸς διαίρεσις ὀνίνησιν τῆς ἀριστερᾶς χειρός. Quod est. Similiter etiam laborante splene, sectio venæ quæ iuxta annularem digitum est in sinistra manu, contulerit. Huic lectioni subscribit quod habetur pag. 106. in hunc modum: Quemadmodum putant, qui lienem curari aiunt, à venæ ad secundum paruum digitum sitæ, sectione.

Pag. 109.

THeod. Nisi prius expurgatus foret. Græcè, ἄνευ τοῦ προκενωθῆναι. Hoc est, Nisi prius vacuatus fuisset. Siquidem non agit illic Galenus de euacuatione quæ fit per medicamenta, quam rectè aliquis purgationem vocauerit: sed de illa, quæ perficitur per venæ sectionem, & quæ minimè purgatio dicenda est.

Pag. 111.

THeod. Datur autem & hoc tempore medicamentum, quod propriè amarum appel

pellatur, centũ habens drachmas mixtis aliorũ medicaminũ cuiusque sex. Græcè legitur, ὃ τὰς ρ. ἔχει δραχμὰς τῆς ἀλόης μιγνυμένας ταῖς τῶν ἄλλων φαρμάκων ἓξ ἑκάστου. Hoc est, In quo ad centum aloës drachmas, cuiusque aliorũ medicaminum drachmæ senæ miscentur. &c. Est enim Andromachi compositio, cuius Galenus meminit octauo de compositione medicamentorum secundum loca.

Pag. 112.

THeod. Quamobrem podagricos ex cubito purgato. Græcè, χρὴ κενοῦν. Hoc est, vacuare oportet.

Cap. de Reuulsione.

Pag. 119.

THeod. Vberibus admota. Græcè, παρὰ τοὺς τιτθοὺς, Hoc est, Iuxta mammas.

Lib. de Venæ sectione aduersus Erasistratum.

Pag. 126.

IOsephus Tectander: Vt interim noxas reticeam, quæ ex inedijs necessariò euenire solẽt. Græcè, ταῖς μακραῖς ἀσιτίαις. Hoc est, ex longis inedijs.

Ibidem.

IOsephus, Acerbiora, maligniorâque effecta. Græcè, δριμύτερα γινόμενα, hoc est, Acriora effecta.

Lib.

Lib. de Venæ sect. contra Erasistrateos. Pag. 145.

IOsephus: Ego verò, quanquam antea sermonem cum Medicis instituere opus habebam, quò ea consyderarem, quæ illi pro non admittendo venæ sectionis vsu, dicturi fuissent, &c. Græcè, ἐμπροσθεν μὲν οὖν ἐδεδίειν εἰς λόγους ἰέναι τοῖς ἰατροῖς, εἰκάζων ἅμελλουσι ἐρεῖν εἰς τὸ μὴ χρῆσθαι τῇ φλεβοτομίᾳ. *Hoc est, Primò igitur veritus fueram cum Medicis sermonem conferre, coniectans quæ dicturi essent de non admittenda venæ sectione.*

Lib. de marasmo.

NIcolaus Lauachius: Hinc liquidò apertũ st, quòd si corporis totius sit affectus tabes, affici animal sine principis membri passione nequeat. Græcè habetur, οὐκ ἄνευ τῆς ἀρχῆς τοῦ ζώου παθόντος γίνεται. *Quod nos vertimus, Minimè quidem fit, nisi sit etiam principium animantis affectum. Pro quo principio intelligendum sanè est cor: vtpote quod vnum præcipuè in marasmo afficiatur.*

Eodem lib. iuxta finem.

NIc. Lauach. Cæteris autem ex visceribus vt plurimum ab affecto loco in ventrem redundans biliosus succus hecticas ciere febres potest. Græcè, ὡς τὰ πολλὰ μὲν οὖν κατὰ τὰ λοιπὰ σπλάγχνα μετὰ χολώδους χυμοῦ συνίστασθαι πέφυκεν ὁ ἑκτικὸς πυρετὸς, ἀναπωθέντος

πῷ εἰς τὴν γαστέρα τοῦ πάσχοντος τόπου. *Hoc est, Vt plurimum autem secundum reliqua viscera gignitur hectica febris, infuso bilioso humore in ventrem visceris male affecti.*

SECTIONE VI.

Lib. I. de compositione pharmacorum secundum genera.

Pag. 25.

ANdern. Docti pariter estis primæ curationis consilium à morbosis dispositionibus suggeri. Græcè, ἐμάθετε δὲ καὶ ὅτι πρῶτος σκοπὸς τῆς θεραπείας ἐκ τῶν νοσωδῶν εὑρίσκεται διαθέσεων. *Hoc est, Didicistis autem, primum curationis scopum à morbificis proficisci dispositionibus.*

Pagina 35.

ANdern. Non adhuc extremum frigus admoliemur. Græcè, οὐδὲν ἔτι δεόμεθα τῆς ἐπικτήτου ψύξεως. *Hoc est, Non amplius egemus aduentitia frigiditate.*

Lib. II. Pag. 79.

ANdern. Hæc sanè & prius ostendimus, & in tertio Therapeutices commentario diximus, quòd præscientes ea ex demonstratione conuenienti ad reliqua deducã. Græcè legitur, ταῦτ᾽ οὖν εἴρηται μὲν ἡμῖν καὶ πρόσθεν, εἴρηται δὲ κἀν τῷ τρίτῳ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου. ὥστε προεπισταμένους δεῖ αὐτὰ μετ᾽

ἀπο

ἀποδείξεως τῆς προσηκούσης, ἐπὶ τὰ λοιπὰ προάξω, &c. Hoc est, Hæc igitur dicta nobis iam antea sunt: expositáque etiam in tertio lib. de Medendi methodo. Quare præscientes ipsa, cum decenti demonstratione ad reliqua promouebo, &c. Cæterùm diminutè legitur in impreßis codicibus ὡς, ἀντὶ τοῦ, ὥστε: id quod fefellit interpretem.

Lib. III. Pag. 143.

ANdern. Huius generis est lixiuia quæ stacte dicitur. Atque hanc ipsam quæ ex materia subtili vsta est, cedrinum oleum virtute superat. Græcè, ἐκ τούτου δὲ γένους ἐστὶ τῷ κεδρίνῳ καὶ ἡ σταχτὴ καλουμένη κονία. καὶ ταύτης αὐτῆς ἥτις ἂν ἐξ ὕλης λεπτομεροῦς γένηται καυθείσης, ὑπερβάλλει τῇ δυνάμει τὸ κέδρινον ἔλαιον. Hoc est, Eiusdem cum cedrino est generis lixiuia stillatitia vocata. Atque inter species lixiuiæ illa est potentior oleo cedrino, quæ ex materia tenuiorum partium combusta confecta fuerit.

Pag. 153.

ANdern. Iam aliјs multis pharmacis potētiam pauculis annis retinere contingit: attamen euphorbium alio nullo sanè minus post thapsiam. Sed clarius in Græco exemplari, συμβαίνει μὲν οὖν καὶ ἄλλοις πολλοῖς τῶν φαρμάκων ὀλίγοις ἔτεσιν ἐπὶ πλεῖον ἰσχύειν τὴν δύναμιν, οὐδενὸς δ᾽ ἧττον τὸ εὐφόρβιον μετά

γεθα-

γε θαψίαρ. Cæterùm aliis etiam compluribus pharmacis accidit, vt pauculis annis, eorum vis euanescat: id quod post thapsiam nullo minus euphorbio contingit.

Pag. 172.

ANdern. Tale igitur consecutus, & hanc ipsam commemoratam vnctionem audacter puncturis imponito, vbi oras hiare metus est. Cuius contrarium habent prorsus codices Græci: ἐφ' ὧν εὐλαβῆ μύσαι τὸ στόμιον. Hoc est, In quibus veritus fueris ne conniueant atq; occludantur oscula. Siquidem vt hiare Græcis est χαίνειν, sic μύσαι claudi & orificia obstrui: id quod in punctis neruis est summum malum: ac proinde Galenus, vt omni ratione aperiantur, ducit esse magnum operæpretium.

Pag. 180.

Vbi agitur de sumptuosis pharmacis.

ANdern. Vbi enim quispiam pharmacorum Medicorúmque studiosus non plura quingentis myriadibus haberet, nullo simpliciori dignabatur vti: multò magis vel diues aliquis vel monarcha odoratũ simul & quòd multa constet pecunia volet habere pharmacũ. Illa tamẽ sententia prior clarius ex dictione Græca percipitur: ὅπου γάρ τις οὐ πλείους ἔχων πεντακοσίων μυριάδων ἀνὴρ φιλοφάρμακός τε καὶ φιλίατρος, οὐδενὶ τῶν εὐτελῶν ἠξίου χρῆσθαι. Quæ sonant, Quandoquidẽ enim quidã pharmacorũ

& medicinæ studiosus, tametsi nō haberet plures quinquaginta myriadibus, dedignabatur tamen vti medicamentis vulgaribus: multò certè magis. &c.

Lib. IIII. Pag. 197.

A*Ndern. Non tamen cum refrigeranti oleo liquare ipsum oportet, Græcè legitur,* οὐ μὴν οὐδὲ διὰ τοῦ τυχόντος ἐλαίου τήκειν αὐτὴν προσήκει, *&c. Quæ sunt vertenda, Non tamen obuio quouis oleo ipsum liquare oportet. Quam lectionem confirmat sequens sententia, quæ talis est: Sed si quidem rubor aut calor aliquis in circumpositis vlceri partibus præpollere videatur, ex quopiam adstringentium simul & refrigerantium: cuiusmodi myrtinum atque melinum est.*

Lib. VI.
Pag. 329.

A*Ndern. Quòd auxiliorum quædam ratio sola inuenit, quædam experientia, quæ & ipsa rationem requirit: nonnulla vtriusque opem postulant, subinde nobis est declaratum. Græcè habetur.* ὅτι τῶν βοηθημάτων, ἔνια μὲν ὁ λόγος εὑρίσκει μόνος, ἔνια δὲ ἡ πεῖρα, καὶ αὕτη τοῦ λόγου μὴ χρῄζουσα. *Hoc est, Quòd auxiliorum quædam à ratione sola inueniantur: quædam ab experientia sola, nec desyderante rationem. &c. Multa siquidem sola experientia citra rationis opem inuenit.*

Lib.

Lib. VII. Pag. 380.

ANdern. Porrò ex iis quæ à glutinatione ἰχένολλα *nominantur, nullum auferendum est prius, quàm sua sponte abscedant. Atqui si laueris, permittenda sunt. Græcè legimus,* ἀλλὰ κἂν λούσηταί τις, ἐᾶν ἐπικεῖσθαι. *Hoc est, Imò verò etiamsi quispiam lauet, sinenda sunt vt adhæreant. Monet itaque tenacia medicamenta, quæ applicamus corporibus, ne in balneis quidem esse amouenda, donec vltro ipsa decidant.*

Lib. I. de Compositione pharmacorum secundum partes.

Pagina 433.

IAnus Cornarius: Aliis verò herbis, quæ iuxta humiliores regiones proueniunt, reliqui totius corporis pili similem generationem habent. Græcè legitur, ταῖς δ' ἄλλαις ποίαις, ὅσαι κατὰ τ' αὐώτερα χωρία φύονται. *Hoc est, Reliquis autẽ herbis quæ in marcidis exuccísq; proueniũt regionibus, &c. Nempe, alij totius corporis pili similem generationẽ sortiuntur. Comparauerat siquidẽ primò ipsos capitis pilos tritico aut hordeo crescenti in aruo aliquo præpingui & fæcundo. Nunc verò lanuginem reliqui corporis, similem iis herbis habere generationem ait, quæ in aridis locis sterilibúsque proueniunt. Confirmat hanc lectionem nostram Galenus libr. II. de Vsu partium humani cor-*

poris, vbi agit de pilis ciliorum. Cæterùm codices qui excusi habentur, non ἀνώτερα, sed mutata υ, in ν ἀνώτερα, hoc est, superiores, habent: quanquam interpres non superiores, sed inferiores vertit.

Pag. 483. De aceto.

Cornarius: Vtpote quod substātia sua modicè calidum est, plurimum verò frigidū, & partiū tenuium. Græcè habetur, ὡς ἀνέχοντι μὲν κατὰ τὴν οὐσίαν ὀλίγον θερμὸν, ἔχοντι δὲ τὸ πλεῖστον αὐτῆς ψυχρὸν λεπτομερές. *Quæ mallem sic reddere ad verbum: Vtpote quod substantia quidem sua obtineat pauxillum calidi, plurimum autem frigidi atq; tenuium partiū.*

Lib. II. Pag. 526.

Cornar. Quæ Archigenes consequenter scripsit, in quibus est etiā Galeni censura, Græcè, ἐν οἷς καὶ Γαληνοῦ διορισμός. *Hoc est, In quibus etiam habetur Galeni distinctio.*

Pag. 535.

Cornar. Itaque balnea temperata, & vnctiones, & potus dilutus eis exhibenda sunt: omnísque diæta liquidior & boni succi cōstituenda. Græcè habetur, καὶ ἡ σύμπασα δίαιτα ὑγροτέρα τε καὶ εὔχυμος παραλαμβάνεσθαι. *Hoc est, Omnísque victus ratio humidior, & boni succi eligenda. Atqui non omnis victus ratio liquida, est humida: quum plurima sint consistentia fluida, quæ maximā tamen exiccan*

candi vim poßident: vt exẽpli gratia, tum mel, tum acetum.

Pag. 555.

COrnar. Post exacerbationem verò pharmacis hemicranicis est vtendũ: si quidem multa caliditas percipiatur, his quæ refrigerans quippiam habent: citra verò hanc, his quæ multum excalfaciant: vbi Græcè legitur, τοῖς ἱκανῶς θερμαίνουσιν. Hoc est, ijs quæ sufficienter calfaciant.

Lib. III. Pag. 56.

COrnar. At verò consimilis dolor est ex serosis & saniosis humoribus in corpore aurium generatis, ei qui ex mordacium humorũ illapsu forinsecus facto contingit. Græcè tamen non habetur, in corpore aurium generatis: sed simpliciter, In corpore genitis. vt sensus sit, consimilem fieri dolorem humoribus ex toto corpore in aures illapsis, ei qui ex mordacium humorum insultu forinsecus facto contingit.

Lib. V. Pag. 703.

COrnar. Si verò liuidi per omnem suã substantiã facti appareant dentes, nihil mirũ est, ipsos inflãmationi aliquid simile pati. Græcè legimus, εἰ δὲ πελιδνοὶ δι' ὅλης ἑαυτῶν τῆς οὐσίας οἱ ὀδόντες φαίνονταί ποτε γινόμενοι, θαυμαστὸν οὐδὲν ὅτι πάσχειν αὐτούς τι καὶ τῇ φλεγμονῇ παραπλήσιον. Quæ sonant, Quum autem liuidi aliquãdo tota substantia videantur dentes,

non est quòd miremur, si perpeti etiam possint aliquid inflammationi simile.

Lib. VI. Pag. 741.

CORNARIUS: *Quando verò veluti induratũ quiddam de inflammatione relinquitur, penitus non conuenit, adstringens ad discussorium miscere, nisi prius totum corpus sit euacuatum. Contrarium Græci codices dictant:* ὅταν δὲ οἷον σκιῤῥῶδές τι λείπηται ἀπὸ φλεγμονῆς, οὐδ᾽ ὅλως χρὴ μεμίχθαι τῷ διαφοροῦντι τὸ στύφον, ἐὰν κεκενωμένον εἴη τὸ σύμπαν σῶμα. *Quod est, Quum verò ex inflammatione quippiam veluti induratum relictum fuerit, penitus nihil adstringens miscendum discutientibus est, si vniuersum corpus sit euacuatum. Galenus itaque præcipit, vt post totius euacuationem corporis, si phlegmone in scirrhum degenerauerit, solis digerẽtibus, discussoriisque vtamur: quandoquidem tunc verendum non est, ne humores concitemus ad partes: nimirũ corpore ab omni redundantia libero & immuni existente, ob præcedentem euacuationem.*

Libro de Theriaca ad Pisonem.

Pag. 1045.

ANDERN. *Quoniam non solùm hoc nomine cæteris omnibus præcellunt, quòd imperiũ à Diis sint adepti, sed etiam quòd vniuersa bona, vniuersis libenter impartiant, sicuti & Dii ipsi tantum ex æquo gaudii concipiunt, quantus cor*

eorum numerus extiterit, qui ab ipsis redduntur incolumes. Hæc tamen posterior sententia videtur esse longè diuersa in Græcis codicibus, qui sic habent: ὥσπερ καὶ αὐτοὶ οἱ θεοὶ, ἐν τῷ ἴσῳ καὶ τοσαύτῃ τὴν εὐφροσύνην ἔχοντες, ἐν ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' αὐτῶν διασωζόμενοι. *Quod est, Non secus quàm Dij ipsi, tantum ex æquo gaudij concipientes, quantum illi qui ab ipsis seruantur.*

Pag. 1049.

ANdern. Nos verò quum hæc videamus, sciamúsque id quod poßit ratione vniuscuiusque medicaminum naturæ virtutis proprietatem verè agnoscere. Græcè legimus, ἡμᾶς δ' ταῦτ' ὁρῶντες, καὶ τῷ λόγῳ τῆ ἑκάστου φύσεως τῶ φαρμάκων τὸ οἰκεῖον τῆς δυνάμεως φιλαλήθως ὁμολογεῖν τὸ δυνατὸν εἰδότες, &c. *Quem locũ difficilem ego sanè sic verterem, Nos verò, quum hæc cernamus, assequamúrque ratione, id quod verè poßit exprimere proprietatem facultatis naturæ cuiusque pharmaci, &c.*

Pag. 1607.

ANdern. Ad hunc enim peculiariter verba potius habeo, quoniam manifestiores etiam in corpore conuersiones, mutationésque non indicat. Græcè legitur, ἐπεὶ καὶ φανερωτέρας ἐν τῷ σώματι τροπὰς τε καὶ μεταβολὰς ἄχ' ἐνδείκνυσθαι. *Hoc est, Quoniam manifestiores*

in corpore conuersiones, mutationésque indicare potuisset.

Pag. 1074.

A*Ndern. Porrò erunt animalia colore subflaua, corpore robusta. Græcè, habetur,* καὶ εὐκίνητα σφόδρα. *Hoc est, eximia quadam agilitate mobiles: viperæ scilicet.*

Libro secundo, de Antidotis.

Pag. 1171.

A*Ndern. Hac Nicomedes rex vtebatur, siquando eos qui eum vocauerant, in suspicione haberet. Græcè legitur,* εἴ ποτε ὑπόπτους εἶχε τοὺς κεκληκότας. *Quæ sonant, Siquando eorum, qui inuitassent ipsum, habebat sibi fidem suspectam. Siquidem* τὸ καλεῖν, *tum vocare, tum inuitare, ad conuiuiúmque hortari significat.*

FINIS.

GALENI PER-
GAMENI DE FA-
SCIIS LIBEL-
LVS,

*A VIDO VI-
dio Florentino Latinitate
donatus, congruisq;
iconibus illu-
ſtratus.*

Bibliopola Lectori S.

CV'M viri doctissimi, iidémque
mei amantissimi, de opusculo
hoc in cōsiliū adhibiti, Vidi Vi
dij iudicio cōcordib⁹ suffragiis
subscriberent, legitimūq; indubiè Galeni
fœtum esse renūtiarēt: operæpretiū me fa
cturū iudicaui, si vnà cū Lacunæ Epitome
in lucē id edendū curarē: non temere nimi
rum suspicās, in superioribus editionibus,
non tā autoris iudicio, quàm typographo
rum culpa, fuisse pretermissum, qui cū ido
neis iconibus instructi nō essent, in iis cō-
parādis sumptū facere aut noluerūt, aut vr
gentibus iam prelis, tempestiuè nō potue
runt. Habes itaq;, Candide Lector, γνήσιον
Galeni de Fasciis libellū, figuris non incō-
cinnis, (quas eū in vsum scalpēdas curaui-
mus) feliciter illustratū: eúmq; nulla Epi-
tome circuncisum, quòd in tāta breuitate
nihil citra perniciem rescindi posse videre
tur. Non deerāt, qui Oribasij de Laqueis
& Machinamētis libellos, vnà cū hoc con-
iungendos putarēt. Verū nos autoris iudi
ciū sequuti, nihil hîc alieni admittendū du
ximus: satius rati, commodiori eos loco re
seruare, auspicatius cū Epitome Cōment.
Galeni in Hippocratē ꝓpediē prodituros.
Vale.

GALENUS DE FASCIIS, VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

HIPPOCRATES ille auctor vetustißimus mundiciem spectans, quam exigũt aliæ artes in agendo, mihi videtur non inconsideratè protulisse [Nobis sanè placet in arte vniuersa animi intentionem adhiberi, in quacunque enim opera decorè agere rectéque possumus, decorè ac recte agere conuenit: quæcunque mundiciem celeritatémque admittunt, celeriter mundéque conficienda sunt: atque vbi euitari dolor poßit, quàm maximè iocundè: tum reliqua huius generis omnia præclariùs agere debemus, quàm alij eiusdem artis professores]. Siquidem (vt in nonnullis, quæ efficiuntur, videre licet) artifices vsum habentes non alia re præstant ignaris & expertibus, quàm celeritate atque elegantia.

Medicum ergo eo magis quàm alium artificem fungi decet suo munere, quo sibi nobilior est subiecta materies, & idcirco, siue secet, siue adurat, siue alliget siue quid aliud manu moliatur, non modò vtilitati studere debet, sed mundiciei & elegantiæ, quemadmodum ipse alibi rursus testatur, quùm inquit [Vinculi ratio duplex, altera illius quod inijcitur, altera illius, quod iniectum est. quod inijcitur, vt celeriter, iocundè, promptè, elegãter, celeriter quidem, vt opus expediatur: iocundè, vt facilè præstetur: promptè, vt vbique sit in promptu: elegãter, vt oculos delectet]. Mala enim in nõnullas corporis partes incumbẽtia, idoneam vinciendi rationẽ postulant, eámq; per se homo sæpißimè decoram expetit. quare tam solius ægrotãtis gratia, quàm omniũ, quibus sui videndi copiã faciet, scire oportet, quæ vincula & simplicia, & varia, singulis partibus accõmodentur: nec ignorãdum est nonnullis vtraq; conuenire, nonnullis alterutra, nempe varia, licet alij secus existiment, de qua controuersia primò dijudicare operæprecium est. Expellunt nonnulli varia vincula, non modò tanquam nihil proficientia, sed veluti vsum præstantia maximè alienum. id quod nulla stabili ratione firmant: sed testimonio maiorum nitũtur, primùm Hippocratis, quũ inquit [Sed qui præstantia vincula amant sine mente complura alia lædunt] præstantia id est varia:

ria: deinde Mantiæ referentis cuidam oculos procidisse, cui pharmacopola caput & faciem vario vinculo deligauerat, idque iure putant euenisse. quod fasciæ ob varietatem inæquales vrgeant, & idcirco mouere inflammationes possint, atque abscessus. Sed satius fuit eos dignoscere, non vinculorum varietate accidere, quod adducunt, sed inscitia alligatium, qui valenter adstringunt. oportuit enim ita deligare, vt Hippocrates docuit, cùm ait [In his autem maximè ad vinculum pertinet, vt arctetur quidem sic, vt quæ iniecta sunt, neque recedant, neque comprimant, sed fulciantur, non tamen cogantur] æquum autem fuit, vbi Hippocratem citarunt, illud adiungere, quod in Hippocratis oratione restabat, non enim simpliciter scripsit. [Sed, qui præstantia vincula amant, complura alia lædunt], verùm subiecit [sine mente] intelligant autem ex ijs, quæ mox persequar, vinculum varium nullo modo ab Hippocrate submoueri: ipse igitur in libro de officina medici fasciandi rationem agens, vbi narrauit quid vincula requirant dum inijciuntur, quid postquam iniecta sunt, subdit. [Quod iniectum est, vt rectè, vt decorè] rectè intelligit iniectũ, quod confert: decorè, quod elegans est. vt autem exponat quid sibi velit decorè, addit. [Decorè quidem, vt simpliciter, vt distinctè]. adiungit autẽ verbum simpliciter, nõ quo ex toto declaret de-

core, sed ex parte, quasi dicat vinculũ simplex sit & distinctũ, quod euidentiùs colligitur ex ijs, quæ subiecit. [Aut similibus & æqualibus, æqualiter & similiter: aut inæqualibus & dissimilibus, inæqualiter & dissimiliter. Species autem simplex orbicularis, ascia, sima, oculus, rhõbus, dimidiatus. aptetur verò species speciei, ac morbo illius, qui deuincitur]. Ergo vinculi speciem, quæ simplex est, orbicularẽ esse necesse est, sed ascia omninò sima est, atq; ita quod prorsus æquale est, erit sibi simile, quod inæquale dissimile. num igitur deterrẽtur iam de sentẽtia, qui varia vincula repudiari ab Hippocrate voluerunt, fatentes asciam, oculum, rhombũ, dimidiatum, varijs assignari? an præter hæc, illis cõmemorẽ eundẽ Hippocratẽ in libro de articulis, ad fractũ iugulũ, vinculũ admouere, quod à gruis similitudine γεϱανίδα nominauit, ídque variũ esse? Sciant autẽ quibusdam partibus, cuiusmodi femur est, vbi repositũ est, atq; humerus & cubitus aliáq; plura, nullum aptari vinculum posse nisi variũ. Hactenus de his. pergamus iam ad fasciarũ vinciendiq; rationẽ, scrutemúrq; inprimis, vt fasciæ inter se distent, materia, habitu, longitudine, latitudine, structura. Materia igitur inter se dissident, quoniam nõnullæ linteæ sunt, nonnullæ ex lana, aliæ ex mẽbranulis, quarum vsus, quũ neq; vnus sit, neq; similis, sed dispar, vbi opus erit, eas accipere conabimur, quæ

morbo

morbo maximè congruãt, quæcũq; ergo adstringẽda erũt, linteis alligabimus, at vbi adstringere nõ oporteat, propterea quòd hoc inflãmationi sit inimicũ, sed abundè sit cõtinere vel tegere, ex lana, ex mẽbrana verò secuti Hippocratẽ, vbi nasus vel maxilla cõminuitur, extremitatẽ mẽbranulæ parti, quæ vinculũ postulat, agglutinãtes: Habitu, quũ aliæ glomeratæ, aliæ scissæ sint, assutæ aliæ, glomeratæ sunt, quæ ex habena in longitudinem fiunt, quibus nihil assuitur, tales sunt, quibus perfracta mẽbra vinciũtur, scissæ, quæ ex vno linteo extremis partibus vel alibi scisso cõficiũtur, quales sunt, quæ ad capitis vulnera dantur (cãcri dicũtur) siue in quatuor partes scindantur, siue in sex siue in octo, assutæ ex pluribus habenis varia figura inter se iũctis cõponuntur, quales sunt, quæ suspendunt, quæ cingunt, quæ mammas deuinciũt, quæ mammis & loco præterea, qui iuxta anũ est, accõmodantur: Longitudine, cũ quædã breuiores, quædam longiores sint: Latitudinis eadem ratio est, siquidẽ tam hæc, quàm illa debet vinciẽdis partibus respondere: Structura, nam aliæ texũtur, aliæ constant ex materia per se coacta, vel certo ordine implicata, quæ simplici textura fiũt, nonnullæ hac de causa texũtur, nonnullæ conficiuntur ex tela, quæ ad alium vsum texta sciṅditur in fascias, his plerunq; vulnera obligamus, illis vtuntur venatores ad crura defendenda, eædẽ primæ

palmæ parti circũdantur, quæ ex implicata materia fiunt, ab aurigis ad latera cõtinenda adhibentur. Est autẽ perpetuum, vt qui vinciunt, fasciis abundent, & quas habẽt, sciant quàm optimè adhibere, atq; vbi deligẽdi locus est, tales accipiãt, quales docuit Hippocrates, quum inquit [Iam verò fasciæ parentur, leues, tenues, molles, mundæ, latæ, sine suturis, sine eminẽtiis, ita valentes, ne extentæ rumpantur, & paulò amplius]. Mundas quidem esse cõuenit, quoniàm sordidæ præterquàm quòd indecoræ sunt, liquore aliquo respersæ, non madescunt, deteriúsq; id reddunt, quo perfunduntur, esse item sui coloris debẽt, ne si purpura inficiãtur, vel alia huiusmodi re, eandẽ noxam afferãt, aut coloris similitudine currentẽ sanguinẽ repræsentẽt: tenues insuper, ne ambitus in tumorẽ nimiũ assurgãt: molles, ne ob duritiẽ vrgeãt: leues, ne onere infestẽt: sint præterea sine suturis inæqualibus, ob quas futurũ esset, vt cõprimerent: tum sine eminentiis, hoc est non sint oræ à lateribus ipsa textura confectæ, vel alioquin versæ atque consutæ, nec quædã extantia, quasi fibræ. cùm quæ eminent, vinculũ reddãt inæquale, quæ extãt, non patiantur fasciã facilè circuire. Quòd si fasciæ ex inciso linteo fiant, incidatur nõ transuersum, sed in longitudinẽ sicut intextũ est, sectione ad stamẽ directa, sic enim lintea facilè scinduntur, quod secus habet, si quà subtegmen procedit, hoc tẽtetur,

tur, adde, quòd quæ in longitudinem ſcinduntur faſciæ, quod vinctum eſt, firmiùs continent. At vinciendi ratio quædam (vt ſuperiùs dixi) ſimplex eſt, & quædam varia, atque hæc modo nomẽ inuenit à ſede, cui adhibetur, modò ab euentis, nonnunquã tranſlato vocabulo à ſimilitudine animaliũ. à ſede, quæ vincitur, nomẽ trahit, oculus, naſus, inguen, cæteráq; huius generis: ab animalibus, cancer, accipiter, aries, lepus, teſtudo: ſed ab euentis, vallũ ſeu coniunctũ, ſeu diſiunctũ, operculũ, habena, & quæ his ſimilia ſunt. Prætereà ex huiuſmodi vinculis quædam ſunt vincula tantùm, vt tholus, regium, ſcapha, diſcrimen: quædam vincula ſimul & laquei, cuiuſmodi eſt lepus auritus, paſtoralis, cæteríque conſimiles. Vinculum inſuper aliud ab altero faſciarũ capite incipit: aliud à mediјs faſcijs: aliud vtroq; modo. Quoddam item certis ſedibus idoneum eſt, reliquis aliemũ cùm ſit: quoddam alijs quoque aptatur. Super hæc aliud à priori parte cõſpicitur, quòd priorẽ hominis partẽ duntaxat alligatam oſtendat: aliud à poſteriori, aliud ab vtraq; ſimiliter & priorem & poſteriorẽ partem æquè vinctam demonſtrans, atq; hæc nunc cõſimili, nunc diſpari ratione veniunt in conſpectum, quæ omnia plana fiẽt, cùm ad ſingula vẽtum erit. Sed conſiderandũ eſt, inquirendúmq; an quomodolibet ordiri faſcias oporteat: maiores enim omnes ſtatuerunt certas corporis ſedes,


à quibus fasciæ ordiri deberēt, exempli causa in capite, ob quācunq; causam vinciatur, fasciæ caput in occipitio collocant, inde ipsam circūagentes, iuncturā cōficiunt, nec quicquā intuentur, quod agūt morbo ne, cuius causa vinculū adhibent, secundū sit, an aduersum: in alijs itē partibus inscitia vel ignoratione (vt credibile est) decepti, locos præscripserūt, necesse enim est rectè vinciente auctore Hippocrate eò incumbere, vt nō solùm deligādæ parti, sed affectui quoq; vinculum cōueniat. Nos igitur non vndecunq;, sed quà maximè expedit, ordimur, extremámq; fasciā imponimus, quà docuit Hippocrates, cùm inquit, [Quæ mouentur, vt articuli, quà curuātur, minimis, et maximè collectis, veluti poples: quà extenduntur, simplicibus & latis, veluti patella, obuolui debēt. quæ autē adijciuntur ad continendū quidē, quæ circa hæc sunt: ad suspendendum verò fasciā omnē, quà corpus quiescit, & quà magis cauum est. superimponēda, vt supra vel infra genu. Consentit autem cum capite humeri fascia ad alterā alam demissa: cum inguine, ad alterū ilium: cum crure, super partem huius posteriorem, quæ carnosa prominet. quibus autem sursum labitur, ab inferiori parte suspendenda est: quibus deorsum, à superiori. vbi nihil tale est, quemadmodum in capite, quà maximè æquale est, cōtineri fascia debet, & duci quàm minimè obliqua, vt postremò obuoluta, quà valentissi

lentissimè hæreat, vagos circuitus contineat.] *Oportet præterea deligantem ad ea respicere, quæ in vinculo requiruntur, cuius Hippocrates duas esse species testatur, vnam eius, quod inijcitur, alteram eius, quod iniectum est. vtrobiq; autem summa cura enitendum est. dum vinculum inijcitur, vt celeriter, iocundè, promptè, eleganter. celeriter quidem vt opus expediatur: iocundè, vt facilè præstetur: promptè, vt vbiq; sit in promptu: elegāter, vt oculos delectet. cum iniectum est, vt rectè, vt decorè habeat, nihílq; absit ex his, quæ suprà opus esse retulimus. De vsu autem vinculorum scire licet quædam ea de causa adhiberi, vt continendo curātibus præsidijs subseruiant: alia non propter hoc, sed vt ipsa per se agant, quibus curatio committitur. in his maximè attendendum à qua parte fascia ordiatur, qua circumeat, qua desinat. quæ singula exquisitiùs conscribi non possunt, docere tamen viam licet per quam medicus facilè iudicare de singularibus poterit, naturam singularium partium perspiciens, quàm facilè alligentur, suspendantur, collocentur: atq; insuper quid vinculum valeat, efficit enim, vt quæ abscesserunt propellantur, biantia coniungantur, peruersa dirigantur, atq; omnium contraria præstentur. Oportet autem, si quid abscessit, ita deuincire, vt quæ sublimia sunt, sedē contingant, hoc est locum, vnde recesserunt, at non premant:*

incipiendum verò à parte sana, & qua vlcus est, finiendum, vt quod subest effundatur, & aliud vltrà non coëat. Sed quæ abscedere volumus, contrario modo penitus alligãda sunt, atq; vbi in vnum adducere conuenit. verũ vbi, quæ hiant, hoc est, quæ in exteriorem partem conuersa sunt, longè initio accepto coniungenda sunt, in cæteris eodem modo vinciendum, tantum ab vlterioribus aliquid adducendum erit, paulatímque comprimendum, primò minimũ, deinde magis, maximæ cõpreßionis terminus sit, vbi se contingunt, aptantúrque, sed non vrgent. verùm in diducendis, quæ cõtracta sunt, si inflammatio est, supersedendum est, si ea non est, præparatione eadem vtendum, sed vinculo contrario. dirigere item vbi peruersa oporteat, cætera fieri eadem debent. tum quæ recesserunt adducenda sunt, contraria autem contrà. Hæc omnia medicum quasi leges tenentem, obseruantémque expedit id eligere, quod singulis vitijs idoneum est, miniméque ad certos locos consilium dirigere. Nos, quanquam in vno quoque casu, quà primum ordiri vinculum oporteat, perfectè explicare difficile est, dum tamen fasciarum rationem indicabimus, vt res euidentior sit, locos statuemus, à quibus ordiri potißimùm conueniat: medicus verò in agendo vbique illum eliget, qui maximè in rem erit.

dium integrum sit, donec tegere caput possit, toti capiti obuoluatur: tum ex pendentibus partibus, duæ iuxta aures fissæ sub mento inter se deligentur, è reliquis verò, binis à priori parte, quaternis à posteriori, duæ à posteriori extremæ super alias ducantur ad frontem, altera alteri subiecta, vt à superiori contineatur, deinde priores duæ ferantur ad occipitium, sic, vt æquè alteri altera insidat, his comprahenduntur quæ priùs fuerant circundatæ, reliquæ duæ posteriores ad frontem attrahātur, altera similiter alteri subiecta, extremæq; à latere fibula inijciatur. Hæc vinciendi ratio efficit, vt caput sine nodis inuolutum defendatur à tædio, quod hi comprimendo afferre plurimum solent.

Cancer


B II
C
D IIII
B
I A
III C
D
A


IIII


C
A
A
B
V


D
E
A
VII


D
B
F
I
A
IV

Cancer, siue vinculum capitis, siue operculũ scissum in partes octo, ad caput. IIII.

Medium amplecti debet vniuersum caput, sic vt quatuor partes à fronte rectè dependeāt, ab occipitio totidem: ex illis exteriores, ad occipitium porrectæ inter se alligentur: ex his exteriores similiter frõti circũdatæ, à latere deligētur. tũ ex reliquis, quæ in fronte scissæ partes sunt, ad occipitiũ, quæ in occipitio, ad frõtē attrahantur.

Operculum ex fascia lata triũ capitum (σκεπάστρα dicitur) & ex altera, quæ hanc continet (κάτοχος vocatur) & tertia, quæ prohibet, ne totum vinculum diducatur, καθολκεὺς nominatur. V.

Pertinet ad obuoluendũ vniuersũ caput, dicitur autē παρασκεπάστρα. est quidē κάτοχος fascia lõgior, quæ in orbē faciei & capiti circũdatur, vt operculũ cõprehendat: sed καθολκεὺς ex fascia fit oblonga, adhibetúrq; eo nõe, vt diduci vinculũ nõ sinat. quarũ hæc ratio est. Linteũ adhibetũ sic latũ, vt caput vniuersũ cõplectatur, lõgius quā vt duplicatũ, hoc efficiat, cuius alterũ caput occipitio datur, alterũ à frõte depēdet: tum angustior fascia sub mētũ media injicitur, & in vtrãq; partē per malas attrahit' inter frõtē & verticē, inde sub mētũ rursus demittit': post hæc alterius angustioris fasciæ mediũ frõti injicitur, capitáq; in orbē ad occipitiũ porrecta, ibi & inter se, & cũ alterius angustioris fasciæ capitibus

alligãtur:at quod à facie pẽdebat in longitudinẽ, vsq; dũ ad ſupercilia vẽtũ fuerit, diuiditur in duas partes, quæ in frõte altera ſuper alterã inſidẽte ad ſimilitudinẽ literæ X. in orbẽ ad occipitiũ ducũtur, atq; ibi deligãtur. Poteſt autẽ vna faſcia duntaxat longior, & operculũ continere, & prohibere, ne tota iũctura diducatur, ad hũc modũ, ſi media inter frontẽ et verticẽ ordiatur, capita verò recta per malas ſub mẽtũ demiſſa, ibiq; altero ſuper alterũ excedẽte in ſimilitudinẽ literæ X. ſub imas aures ad occipitium dẽtur, vbi rurſus in ſpeciem literæ X. inter ſe aduerſa ad frontẽ ducantur, & nodo à latere deligẽtur.

Hactenus de ſimplicibus vinculis, ſequitur, vt de varijs dicamus, ſi id anteà oſtenderimus, quòd faſciæ circuituũ alius dicitur rectus, alius trãſuerſus, obliquus alius, quid autẽ hi ſibi velint, nomina declarãt: iũ alius στεφανιαῖος, μετωπιαῖος alius, παρειὰς alius, alius γωνιὰς: præter hæc aliud vinculũ orbiculare, aliud in orbẽ ſerpẽs nũcupatur, aliud poſtremò aſcia. eſt autẽ στεφανιαῖος, qui coronarũ modo inter frõtẽ & verticẽ tẽdit: μετωπιαῖος, qui frõtẽ ambit: γωνιὰς, qui ſub mẽto circũagit: παρειὰς ſimiliter à malis ꝑ quas ducit, nomẽ habet: illa demũ vocatur aſcia q̃ lunata figura ab vna parte ſima eſt, ab altera gibba. Circuituũ igitur iſtæc noĩa ſunt.


Rhombus alter ſimplex, alter Hippocratis, de quo nunc. VI.

Aptiſſimũ eſt vinculũ hoc (vt quidã ſenſerũt)

ad suturas, vbi dehiscũt, vel (vt aliis placet) ad partiũ, quas vulnus diduxit, glutinationẽ, atq; ad emittẽdũ humorẽ, eo, quòd cõprimendi vulneris vim habeat. sic autẽ circuire debet fascia à latere capitis orsa, obliqua ducẽda est ad verticem atq; alterũ tempus, deinde malis vtrinque circũdãda, & obliquè parti priùs obuolutæ aduersa in modũ literæ X. ad occipitiũ demittenda, inde obliqua, sic, vt à priori circuitu distet, per malas porrigenda est ad alteras malas, ac rursus obliqua sursum danda, vt bis X. literam repræsentet, quódque in medio est rhombi figuram accipiat, quo facto ad occipitium ferenda est, & fronti in orbẽ iniiciẽda, eatenus autem circũagẽda, vt quæ nuda sunt, includãtur.

Semirhõbus vel lepus sine auribus. VII.

Huic, & illi, cui nomen est Tholus, in omnibus eadem vis est. Ratio adhibendi huiusmodi est. fasciæ caput occipitio iniicimus, eámq; sub infimam auriculam obliquè inter frontem & verticem ad occipitium ducimus, tum inter frõtem & verticem priori parti aduersam, ac sub infimam auriculam ad occipitium attrahimus, post hæc fronti circumagimus sic, vt quod medium est, semirhombi effigiem referat. extrema verò fascia, non modò in hoc, sed in aliis quoque capitis vinculis, fibula à latere vincienda est. Possumus etiam, si ex vsu sit, fasciam circumducere, non ab inferiori parte sursum sed cõtrà.


IX
VIII
XI
X
XII
XII

Vinculum ad caluariam, vel ſcapha, vel Tholus, ſeu Dioclis, ſeu Glaucij. VIII.

Maximè idoneum eſt, vbi ſummum caput, & quod inter ipſum & frontem eſt, vincire cõuenit. hoc autem modo ipſum iniicies. orſus ab occipitio faſciam rectè per verticem duces ad frontem, ibiq; ſiniſtræ manus digito indice continebis, & iuxta priorem partem rurſus ad occipitium demittes, ab eóque tertio ad frontem porriges iuxta partem priorem, vbi ipſam obuolues per eum ſinum, qui à digito tenebatur, poſtremò fronti circumages.

Thais Perigenis, quam alij ad Molpi eam auctorem referunt. IX.

Adhibetur eadem cauſa, qua Tholus, ſed quandam præter vſum elegantiam habet. Vbi Tholus vinculum ſuperdatum fuerit, anguſtioris faſciolæ caput, ſub eius ambitum indatur, eáque porrigatur obliqua ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem, tum in fronte ſub prioris faſciæ ſinum agatur, inde obliqua ad verticem, per id, quod inter ipſum & frontem eſt, ducatur, poſt hæc ad occipitium, dein ſub infima auricula dextra inter frontem & verticem, ſub infima auricula ſiniſtra rurſus ad occipitium reuertatur. Nos verò, vt fideliùs contineatur, alium quoque ambitum per frontem adiicimus.

Thais alia ſine auctore. X.

Tholo obuoluto, faſciola, quæ digiti latitudinem æquet, vel etiamnum anguſtior ſit, orſa ab occipitio recta ad ſummum caput, & ad frontem, per id quod inter ipſam & verticem eſt, adduci debet, ibíq; duplicata rurſus ad occipitiū porrecta conuerti, atq; inde per dextram capitis partem ad verticem, & inter ipſum & frontem procedere, deinde ad ſiniſtrum tempus demitti, quà duplicanda eſt, & per partem priùs obuolutā ad dextram capitis attrahenda, inde ſimiliter duplicata ad tempus, quod tertiò fiat, vt tres ſinus duplicatæ faſciæ cincinnorum imaginem referāt, ſed poſtquam tertiò ad dextram occipitij partem ventum fuerit faſciola ad ſiniſtram partem conuertenda, vt æquè in altero tempore conſpiciatur, poſtremò, vt benè priores ambitus teneat, fronti circumagenda.

Diſcrimen. XI.

Ad eoſdem pertinet ad quos Glaucij Tholus, inijcitúrq; hoc modo. faſciæ, quod ſatis eſt, à facie dependeat, & reliqua eius pars ad ſummum caput, per id quod inter ipſum & frontem eſt, feratur, inde ad occipitium, ibíque tradatur miniſtro continenda, poſt hæc conuerſa circa frontem detur, quo facto caput à facie pendens, per partem primò iniectam, rectè ad verticem, per id, quod inter ipſum & frontem eſt, procedat, inde ad occipitium, ibíque finiatur.

Scaph

Thais ſub incerto auctore.

XIII.

Illis idonea eſt, quibus quod inter frontem & verticem eſt ac proximas partes, conuenit deuincire. Eam ſic admoueto, vbi ſemirhombum inieceris, ſic tamen, vt faſcia frontem non complectatur, ipſam ab occipitio obliquam, ad verticem & frontem porrigito, ibíque conuertito, facitóque, vt circa frontem lunæ figuram imitetur, & cornua ſurſum ſpectent, ima parte ſita inter ſupercilia: poſt hæc ab altera parte verticis ad occipitium ducito ſicq; circa frontem attrahito. huiuſmodi vinculum præter eam, quam ſemirhombus affert vtilitatem, eſt etiam aliquo modo ſpecioſius.

Glaucij vinculum ſuperimpoſitum, vel additum.

XIIII.

Ad eoſdem confert, ad quos vinculum ad caluariam, ſed huic magis fidendum. igitur, vbi vinculum ad caluariam adhibitum eſt, aliud ſuperinijcito, cui nomen eſt lepus ſine auribus, ne longum faciam.

Regium. XV.

Idem efficit, quod Thais ſub incerto auctore, nimirum, quod inter frontem & verticem eſt, ac proximas partes, deuincit, cuius hæc ratio eſt. faſciæ quantum ſatis eſt dependere à facie ſinimus, quódque ex ea reſtat, inter frontem

& verticem rectà ad occipitium trahimus, inde conuersam sub ima aure inter frontem & verticem obliquè ad occipitium, ab hoc obliquè item ad id contrariæ partis, quod inter verticem & frontem est, tum per tempus, ac sub ima aure ad occipitium ducimus, deinde caput, quod à facie pendebat, ad frontem attrahimus, térq; ibi replicamus, sic, vt sinus ad similitudinem graduum, se excedant, quos postremò comprehendimus fascia circa frontem obuoluta.

Capistrum, quod dimidiatum, vel ad alteram partem dicunt. XVI.

Expeditißimum est, vbi maxillam seu vulneratam, seu prolapsam, seu ob distentionem oris aliúmve morbum oportet ab altera parte vinciri. fascia ab occipitio orsa, obliqua per verticem, & inter ipsum & frontem per tempus ferri debet ad malas, inde sub mẽto & ima aure alterius partis ad occipitium, deinde sub imis auribus ac mento attracta eodem reuerti, atque ad eandem rationem, quoties opus est, circuire. Tunc verò commodum ita circundatur, quum à superiori parte deorsum deligandum est, sin ab inferiori parte sursum, fascia ab occipitio incipiat, & sub infimam auriculam, mentúmque procedat, tum per malas ducatur, & obliqua inter frontem & verticem ad occipitium, dein sub mentum circunagatur, postremò frontem ambiat.

Capiſtrum ad vtranque partem.

XVII.

Ad eos pertinet, quibus maxilla vel vtrinq; ſuo loco mota eſt, vel alio quopiam tenetur, ex ijs, quæ dicta ſunt in capiſtro ad alteram partem. faſcia occipitio primùm iniecta, obliquè per verticem & inter ipſum & frontem ad malas porrigitur, demiſſáque ſub mentum maxillam, & malas ab altera parte amplectitur, inde inter frontem & ſummum caput per partem priùs iniectam in ſpeciem literæ X. ad occipitium reuertitur, & ſub imis auribus ac mento rurſus ad occipitium data, nouiſſimè frontem complectitur.

Idem




XIX



XVIII



XXI



XX



XXIII



XXII

Idem ab inferiori parte sursum. XVIII.

Ab occipitio ordiatur, & sub infimã auriculam, ac sub mentũ detur ad malas, inde obliquè per summum caput ad occipitiũ tendat, ab eóq; sub infima auricula alterius partis, & sub mento demittatur, tum ad malas, post hæc obliquè inter frontem & verticem ad occipitium ducatur, & fronti posteà circundetur.

Idem in vtranq; partem ductum à superiori parte deorsum. XIX.

Media fascia cõplecti occipitium oportet, capitáq; eius per verticẽ obliqua inter ipsum & frontem porrigere, sic vt X. literam repræsentent, deinde per malas sub mentum, & sub imas aures ad occipitiũ reuerti, post hæc circa frõtem obuolui, & ad occipitium adducta sub mentum demitti, postremò ad occipitiũ per frõtẽ circuire.

Idem aliter. XX.

Media fascia super frontem detur, capitáq; eius ducantur ad occipitiũ, ibíq; figurã accipiãt literæ X. post hæc sub imas aures ac mẽtum ad malas, inde inter frontem & verticem obliqua ad occipitium demittantur, tum sub mentum, nouissimè per frontem circundentur.

Aliter. XXI.

Fascia media ab occipitio orsa, capita sub imas aures mentúmq; attrahẽda sunt, tum per malas, quod superest eodem modo obuoluẽdum, quemadmodum in ea, quæ proximè posita est.

Capist

Capiſtrum obliquum ad alteram partem, quo vinciuntur, quæ iuxta aurẽ ſunt, & maxillæ proceſſum. XXII.

Ab occipitio initium ſumat, & ſub infimam auriculam ad tempus, atq; inter frontẽ & verticem obliquè ad occipitium, & circa frontem procedat, ſæpiúſq; ad eãdem rationem circũeat. quo modo procedere debet, cùm ab inferiori parte ſurſum attrahitur. Sin expeditius ſit à ſuperiori parte deorſum, ita porrigatur, incipiat ab occipitio, & obliquè per verticẽ & inter ipſum & frõtẽ ad tẽpus procedat, ab eóq; ſub imã aurẽ ad occipitiũ reuertatur, deinde frõtem ambiat.

Quod alij leporem ſine auribus, alij ſemirhombum vel nauiculam dicunt, ad vtranq; partem, cõmodiſsimè ad frontem, & ex parte etiam ad id, quod inter ipſum & verticem eſt, adhibetur.

XXIII.


Occipitio primùm faſciam inijcimus, ab eóq; ſub infimam auriculam ad tẽpus, & inter frontem & verticem adducimus, & obliquam ad occipitium demittimus, inde circa frontem iuxta angulum oculi tempori propiorem, & inter frontem & verticem obliquè ad occipitium, inde obliquè inter verticem & frontem, parti priùs iniectæ aduerſam ſic, vt ibi X. literam repræſentet, poſt hæc ſub infimam auriculam ad occipitium, poſtremò circa frontem.

Idem


XXV


XXIIII


XXVII


XXVI


XXIX


XXVIII

Idem in vtranque partem, ductum à superiori parte deorsum.

XXIIII.

Media fascia occipitium amplectitur, capitáque eius per verticem inter ipsum & frontem adducito, sic, vt ibi X. literam repræsentent, inde sub imas aures ad occipitium, post hæc circa frontem attrahito.

Idem ab inferiori parte sursum. XXV.

Fascia media ab occipitio orsa sub infimis auriculis in vtranq; partem ducitur ad angulos oculorum temporibus propiores, ab his inter frontem & verticem ab occipitium reuertitur, deinde frontem comprahendit. quibusdam placet hanc sub mentum quoque circunagi.

Vinculum à superiori parte iunctum.

XXVI.

Capistrum rectum ad vtranq; partem adhibemus, fasciámq; non ampliùs sub mentum, sicut in illo, sed per medium nasum agimus ad occipitium, & super eam suturam attrahimus, quæ ad aures per verticem tendit.

Vinculum Glaucij valde iunctum.

XXVII.

Eadem ratione obuoluitur, atq; id, quod à superiori parte iunctum inscribitur, nisi quòd fertur etiam sub mentum.

Perigenis galca gladiatoria. XXVIII.

Aptißima est, vbi caput ac malæ pluribus locis

locis vulnus acceperunt. capistrum obliquum ad utranque partem inijcitur, dein Glaucij scapha, post hæc rursum capistrum ad utramque partem. nonnulli, ut vinculum hoc elegantius reddant, id capitis ornamentum, quod κεφαλὸν appellant, parantes assuunt. adhibetur item & alio modo sine obliquo capistro, & fascia per malas minimè porrecta.

Galea aliter ad eosdem.

XXIX.


Fasciæ quod satis est à fronte dependeat, reliqua ad occipitium recta ducatur, & eatenus inuoluatur, ut rectum capistrum efficiens totas genas et caput cōplectatur, quo facto, caput quod à fronte pendet, sursum conuertendum est, & rectè per verticem ad occipitium attrahendum, ac, si placeat, sub imas quoque aures adducendum.



XXXI



XXX



XXXIII



XXXII



XXXIIII



XXXIIII

Lepus auritus. XXX.

Sic appellant semirhombum, vbi laqueus ille accedit, quem auriculas nuncupant, qui vel gladiatoribus decoris causa datur, vel vt caput contineat, vbi propter aliquem faciei affectum pertractare id oporteat. si decoris causa, auriculæ breues sint, & in medio frontis, nam sic animalis imaginem referunt: sin vt contineant, in medio similiter, & magnæ, vt digiti in earum sinus coniecti, continere caput queant.

Alius ad tempora. XXXI.

Hac ratione obuoluitur. ex altera parte fasciæ laqueus fit pastoralis, vel qui duos habens sinus nominatur (quos sæpius in libro de laqueis breuiter declarauimus) & fronti inijcitur, super quem deinde semirhombus, vel nauicula circumligatur.

Simplex oculus, vel tenue vinculum ocularium. XXXII.

Fasciam ab occipitio orsam ducimus per verticem inter ipsum & frontem, inter supercilia, ad oculum sic, vt ipsum contegat, inde sub infimam auriculam ad occipitium, postremò circa frontem.

Idem ab inferiori parte sursum. XXXIII.

Ab occipitio initium sumit, & per summũ caput inter ipsum & frontem inter supercilia ad oculum, tum sub infimam auriculam ad ocu

lum, inter frōtem & verticem agitur, post hæc ad occipitium, & circa frontem.

Duplex oculus à superiori parte ductus. XXXIIII.


Orditur ab occipitio, & per summum caput, atque id, quod inter ipsum & frontem est, inter supercilia fertur ad oculum, tum sub infimam auriculam alterius partis, ad alterum oculum, inter supercilia inter frontem & verticem ad occipitium, posteà circa frontem.

Potest etiam, si ad rem magis pertineat, initio conuerti, & ab inferiori parte sursum circumdari.

Duplex



XXXVI



XXXV.



XXXVIII



XXXVII



XL



XXXIX

Duplex in vtramque partem ductus à superiori parte deorsum. XXXV.

Media fascia ab occipitio orsa, ducere capita oportet inter frontem & verticem, atque inter supercilia, sic, vt ibi X. literæ figuram accipiant, tum ad oculos, atque inde sub imas aures ad occipitium & circa frontem.

Aliter XXXVI.

Media fascia ordiatur à fronte, capita ad occipitium dentur, inde admodum literæ X. similiter, atque in superiori vinculo procedant:

Oculus rectus ad alteram partem. XXXVII.

Orsi ab occipitio fasciam per summum caput, & inter ipsum & frontem directà ad oculum ducimus, inde per eam partem, qua maxilla cum malis committitur, sub mentum, & sub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.

Duplex ex eodem ductus. XXXVIII.

Priusquam frontem comprehendat, ab occipitio ad alterum oculum, trahi debet, tum rectà, quà maxilla cum malis committitur, sub mentum, ab eóque sub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.

Idem ab inferiori parte. XXXIX.


Fasciam ab occipitio orsam ducito sub infimam auriculam, ab eáque sub mentum, & quà maxilla cum malis committitur, ad oculum,

lum,

lum, inde inter frontem & verticem ad occipitium, post hæc sub infimam auriculã, sub mentum, quà maxilla cum malis ex altera parte committitur, ad oculum attrahito, tum inter supercilia super partem prius iniectam ad modum literæ X. inter frontem & verticem ad occipitium porrigito, & circa frontem nouißimè circumdato.

Idem in vtramque partem ductus. XL.

Fascia media non secus ac in ea, quæ obliqua oculum vinciebat, occipitio iniÿciatur, capitáque à superiori parte, vel inferiori attrahantur, potest etiamnum media fascia sub mento incipere.






XLI



XLI





XLIIII



XLIII

Linteum sciſſum ad naſum. XLI.

Faſcia eatenus lata eſſe debet, vt naſum com plectatur, longa verò, vt duplicata à naribus ad occipitium perueniat. Orſam igitur ab occipitio rectà per verticẽ & inter ipſum & frontem ad medium naſum adducimus, & quod ex ipſa ſupereſt à facie ſinimus dependere, quod re ctum in duas partes ſcindimus, vſque dum ven tum ſit ad ſuperius labrũ. quo facto alteram faſciolam mediam, ab imo naſo orſam ſuper eam, quæ ſciſſa pendet à facie, in vtranq; partẽ, ſub imas aures ad occipitiũ ducimus. ſuper partem primò iniectam, ſic, vt ibi X. literam repræſentet, miniſtróq; tradimus, deinde partes ſciſſas à facie conuertimus ab vtraque parte naſi inter ſupercilia, vt ibi literæ X. ſimilitudinem accipiant, ac per ſummum caput obliquas ad occipi tium porrigimus, & cũ priori capite iungimus, ſuper quas deinde capita à miniſtro contenta circa frontem attrahimus, ſic, vt à latere nodo vel fibula inter ſe vinciantur.

Funda ad naſum ex quatuor capitibus. XLII.

Scindendum linteum eſt in partes quatuor, mediúmque integrum relinquendum, quà vin cire debet imum naſum. ex capitibus verò, quæ ſuperiora ſunt, pendere deorſum oportet, inferiora per genas primùm ad angulos oculorũ temporibus propiores procedere, inde inter frontem

& verticem ad similitudinem X. literæ inter se commissa à ministro contineri, reliqua duo sub imas aures ad occipitium demitti, ibíque literæ X. similitudine accepta, circa frontem agi, & à latere inter se deligari, tum quæ à ministro tenebantur, in occipitio desinere.


Eadem ex tribus fasciolis. XLIII.

Vna media inijcitur sub imo naso, capitáque eius per oculorum angulos temporibus propiores inter frontem & verticem ducuntur, ibíque aduersa ad imaginem literæ X. à ministro continentur, altera media datur super imum nasum, & in vtramque partem ducitur ad occipitium, ibíque accipit nodum cum capitibus à ministro contentis, tertia orditur à fronte, & capiti circumdata à latere deligatur.

Eadem ex duabus. LXIIII.

Vna sub imo naso dari media debet, capitáque eius per angulos oculorum temporibus propiores inter frontem & verticem porrigi, atque inter se aduersa in speciem literæ X. ministro similiter tradi: altera media inijci super imum nasum, & capita eius ferri sub imas aures ad occipitium, & ibi X. literæ similitudine accepta per frontem circumagi, & à latere deuinciri.

Nasus


XLV
XLVI
XLVIII
XLVII
L
XLIX

Nasus ex binis fasciolis. XLV.

Vna super nasum in longitudinem detur, dimidiáque pars à fronte dependeat, reliqua per verticem recta ad occipitiũ porrigatur. sed alterius medium dandum est sub imum nasum, capita verò sub infimas auriculas ad occipitium ferenda, vbi debent literæ X. similitudinem accipere. post hæc priorũ fasciæ quod à fronte pendet, sursum conuertendum, & super partem primò volutam recta per verticem ad occipitium demittendum. quo facto, capita quæ ibi literæ X. figuram acceperant, id complexa, postquam fronti circundata fuerint, finienda sunt.

Accipiter ad nasum ex tribus fasciolis. XLVI.

Vna sub imo naso media incipit, cuius capita vtrinque iuxta nares inter supercilia ducuntur ad imaginem literæ X. inde ad summum caput atque occipitium dantur, ibíq; continentur: altera media super imum nasum obuoluitur, capitáque eius sub infimas auriculas ad occipitium demittuntur, & ibi inter se, & cum capitibus, quæ continebantur, vinciuntur: tertia media à fronte orditur, & in vtranque partem circumacta à latere capitis finitur.

Idem ex binis fasciolis. XLVII.

Prior fascia perinde atque altera circumagenda est, sed capita huius in occipitio ad literæ X. similitudinem inter se aduersa, vbi frontem comple

complexa sunt, finiuntur: illius verò sub his comprehenduntur, vel ipsa quoque in occipitio in speciem literæ X. inter se aduersa sub mentum adducuntur, ibíque inter se alligantur.

Fascia glomerata ad idem.

XLVIII.

Fasciæ pendere tantum à facie finito, quātū à naribus possit ad occipitium peruenire, reliquā eius partem rectà per nasum, inter supercilia ad frontem & verticem trahito, inde per medium caput ad occipitium demittito, ibíque conuersam sub infima auricula ad imum nasum attrahito super partem pendentem, inde sub infima auricula alterius partis ad occipitium ducito, ibíque contineto, post hæc caput, quod à facie pendebat, rectà super partem priorem volutam, ac occipitium dato, sic, vt à reliqua fascia comprehendatur, quam postremò circa frontem adducito, & ad occipitium reuersum à latere capitis deuincito.


Funda. XLIX.

Orsa ab occipitio obliqua per verticem & inter ipsum & frontem tendit ad angulum oculi tempori propiorem, inde per genā ad imum nasum, ab eóque ad genam similiter alterius partis, oculi augulum tempori propiorem inter frontem & verticē, ad summū caput fertur priori parti aduersa. post hæc ad occipitiū demittitur, & sub infimis auriculis porrecta ad occipitium


cipitium reuertitur, nouißiméque fronti obuoluitur.

Eadem aliter. L.

Fasciam occipitio primùm inijcimus, deinde obliquam per verticem ad tempus atque angulum oculi tempori propiorem adducimus, ab eóque sub imum nasum, atque infimam auriculam rursus ad occipitium demittimus, ibiq; conuertimus, & priori parti aduersam obliquam ducimus ad tempus, ac sub imum nasum ad infimam auriculam contrariæ partis, post hæc ad occipitium, deinde sub infimam auriculam, sub imum nasum, ac sub imam auriculam alterius partis ad occipitium, postremò circa frontem obuoluimus.



LII



LI



LIIII



LIII



LVI



LV

Amintæ vallum. LI.

Orsi ab occipitio, fasciam obliquè per verticem ducimus, atque inter ipsum & frontem inter supercilia, inde à latere iuxta angulum oculi, naribus propiorem rectà ad proximam narem, inde quà maxilla cum malis committitur, attrahimus, tum sub mentum demittimus, & sub infimam auriculam ad occipitium damus, ab eóq; per verticẽ obliquè inter ipsum & frontem, atq; inter supercilia porrigimus priori parti aduersam in speciem literæ X. post hæc à latere nasi ex contraria parte & quà, maxilla cum malis committitur, sub mentum atque infimam auriculam alterius partis ad occipitium, inde fronti circundamus, post hæc sub infimam auriculam, per medium nasum, ad alteram infimam auriculã atq; occipitium. præter hæc nonnulli quoq; mentum complectuntur. Adhibetur autem commodissimè, vbi vel inter supercilia, vel medium nasum deligare opus est.

Phaleræ, seu vallum. LII.

Ab occipitio inchoatur, & obliquè per summum caput atque inter ipsum & frontem procedit inter supercilia, inde iuxta angulum oculi naso propiorem per genam sub imam aurem ad occipitium, ab eóq; per contrariã partem sic, vt inter supercilia literæ X. figuram accipiat, tum obliquè inter frontem & verticem, per verticem ipsum ad occipitium demittitur, deinde

sub

ſub infimam auriculam, per medium naſum, atq; alteram infimam auriculam; item ad occipitium reuertitur, poſt hæc circa frōtem agitur. Quidam, vt ſpecioſius vinculum efficerent, per eam quoque ſuturam, quæ ad aures per verticem tendit, circuire voluerunt. Poteſt etiam, ſi res poſtulat, faſcia duci in vtranque partem. huic & ſuperiori eadem vis eſt.

Menecratis accipiter. LIII.

Faſcia primùm occipitio detur, & rectà per verticem inter ſupercilia tēdat, iuxta angulum oculi naſo propiorem, & ab altera nare ſuper imum naſum feratur iuxta alterū angulū naſo propiorē, & inter ſupercilia, vt ibi ſimilitudo literæ X. fiat, poſt hæc recta iuxta partem priùs volutam ad occipitiū reuertatur, ibíq; conuerſa ſub infimam auriculā, & ſuper imum naſum, ac ſub infimam auriculam alterius partis, itidem ad occipitium adducatur, & fronti nouißimè circundetur, quam agere etiam licet ſuper eam ſuturam, quæ ad aures per verticem tendit. Nonnulli, vt elegantius vinculum reddant, adijciunt ſemirhombum, cuius rationem ſuprà indicauimus.

Amintæ vallum ad naſum in alteram partem declinatum.

LIIII.

Faſciam ab occipitio orſam rectà ad ſummum caput adducito, deinde inter ipſum & frō

tẽ, atq; inter supercilia ab altera nare sub imum nasum attrahito, inde sub imam auriculam alterius partis, & super imum nasum, ab eóque sub imam aurem ad occipitium obuoluito, inde circa frontem.

Hippocratis vinculum adducens. LV.

Idem præstat, quod proximè positum. sic autem obuoluitur. membranula palmæ longior accipitur, cuius vnum caput glutine vel gummi illitum naso agglutinatur ab ea parte, in qua iacet: alterum sub imam aurem ad occipitium adducitur, ab eóque ad frontem, quà similiter agglutinatur.

Ad aures linteum scissum in quatuor partes. LVI.

Medium auriculam complectatur, ex partibus verò scissis, quæ super auriculam sunt, vbi X. literæ figuram acceperint, vna per frontem, altera per summum caput, ad occipitium porrigantur, tum quæ per frontẽ procedebat, quà X. literæ similitudo est, attrahatur, quæ per verticem, ad frontem ducatur, & à latere capitis ambæ inter se vinciantur, sed partes subiectæ aduersæ inter se procedant, & altera per posteriorem partem, altera sub mentum detur ad occipitium, ibíque nodum accipiant.


Auris



LVIII



LVII






LIX



LXI



LX

Auris ex fascia glomerata. LVII.

Fascia post læsam aurem prope occipitium orsa, per ipsam ferri debet, vt ex parte eandem includat, inde inter frontem & verticem atra hi non longè à fronte, tum per priorem partem prope alteram aurem ac sub mẽtum ad aurem affectam, deinde inter verticem & frontem ad posteriorem partem integræ auris, & sub mentum, atque infimam auriculam ad occipitium, inde circa frontem, ac rursus ad occipitium.

Aliter. LVIII.

Occipitio primùm inijcitur, & sub infimam aurem sanam inter frontem & verticem ad priorem partem affectæ auris porrigitur, atque inde sub mentum, & sub infimam aurem ad occipitium, deinde obliquè super aurem, post hæc circa frontem.

Linteum scissum in partes sex ad regionem iuxta aurem. LIX.

Medium super locum vinciendum inijcimus ex partibus verò alijs à ceruice dependentibus alijs super caput collocatis, eas, quæ à priori parte sunt, inter frontem & verticem nodo inter se deuincimus, medias verò in summo capite & inter se, & cum prioribus alligamus, posteriores ad occipitium adductas, vt X. literam referant, circa frontem agimus sic, vt à latere capitis finiantur.

Iunct

Iunctura ad malas ex tribus fasciis.

L X.

Vna media inter frontem & verticem inijciatur, capitáque eius per malas sub mentum demittantur, ab eóque per malas iuxta priores partes inter frontem & verticem procedant, ibíque inter se colligentur, quòd si oculos quoq; deuincire volueris, ducantur non iuxta priorem partem, sed per oculos, tum inter frontem & verticem data in speciem literæ X. ad occipitium adducantur: altera fascia media inter frontem & verticem orsa in vtranque partem attrahatur iuxta oculorum angulos temporibus propiores, ad mentum, atque ibi nodum accipiat: tertia media medium nasum amplectatur, capitáque eius sub infimis auriculis ad occipitium adducantur, ibíq; X. literæ similitudine accepta per frontem circumeant, & nodo à latere capitis vinciantur.

Longa ad frontem & regionem, quę inter supercilia est ex fascia glomerata. L X I.


Dari primò super occipitium debet, post hæc rectà duci ad frontem & inter supercilia, deinde ad occipitium reuerti, & postremò per frontem circumagi.


LXVI


LXIII


LXVIII


LXVII




LXX

Funda ad labrum inferius scissa in partes quatuor. LXII.

Medium, quod integrum est, inijcito super labrum inferius, superiores verò partes ad mentum adducito, atq; inde ad occipitium, ibíq; in speciem literæ X. altera super alteram exceden te, ad summum caput, & inter ipsum & fronte tem attrahito, ministróq; tradito, reliquas verò binas partes sub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ X. ad frontem attrahito, & has, & quæ à ministro contineb antur, inter se deuincito.

Eadem ad labrum superius. LXIII.

Media superius labrum complectitor, inferiores partes iuxta angulos oculorum temporibus propiores adducito inter frontem & verticem, vt ibi X. literæ figuram accipiant, inde ad occipitium demittito, reliquas duas partes sub infimas auriculas ad occipitium attrahito, ibíq; inter se aduersas circa frontem agito, & inter se deuincito.

Fascia glomerata ad labrum inferius. LXIIII.

Orditur ab occipitio, & sub infima auricula fertur ad labrum inferius, ac sub infima auricula reuertitur ad occipitium.

Eadem in vtranque partem ducta.

LXV.

Media labrum complectitur, capitáq; eius sub imas aures ad occipitium attrahuntur, & fronti circundantur.

Alia. LXVI.

Incipimus ab occipitio, & sub infimam auriculam ad labrum fasciam ducimus, ab eóque sub infimam auriculam ex altera parte ad occipitium, inde per verticem obliquam, & inter ipsum & frontem ad tempus porrigimus, ab eóq; per malas sub mentum ad malas ex altera parte, deinde inter frontem & verticem in speciem literæ X. inde ad occipitium, postremò circa frontem.

Ad labrum superius. LXVII.

Ab occipitio ordiatur, & obliqua detur inter verticem & frontem iuxta oculi angulum temporibus propiorem ad labrum superius, ab eóque ad alterum tempus, atque oculi angulum ipsi propiorem, tum inter frontem & verticem super partem priùs iniectam ad imaginem literæ X. inde ad occipitium & circa frontem.

Eadem à medio orsa. LXVIII.

Media superius labrum complectere, capitáque iuxta tempora, oculorúmq; angulos temporibus propiores porrige, inde inter frontem & verticem, vt ibi X. literam referant, tum ad occip

ad occipitium, post hæc per frontem, rursus ad occipitium.


Funda scissa in partes quatuor ad occipitium. LXIX.

Media occipitium comprehendit, ex partibus verò, quæ subiectæ sunt per malas atque angulos oculorum temporibus propiores inter frontem & verticem feruntur, ibíque inter se deligantur. reliquæ sub infimas auriculas ad occipitium ducuntur, vbi ad modum literæ X. altera super alteram excedit, quòd si breuiores fuerint, in occipitio cum prioribus aptantur, si longiores, ad frontem adducuntur.


Quum de vinculis tam simplicibus, quàm compositis, quæ faciei & capiti conueniunt, abundè dixerimus, proximum est, vt ad reliqua pergamus.

Iunctura ad mentum EX SORANO. LXX.


Fasciam ab vtroque capite scindentes, sic, vt medium, quo mentum comprehenditur, intactum relinquatur, inferiores quidem partes, rectà per malas inter frontem & verticem porrigimus, superiores per mentum transuersas ad occipitium attrahimus, nodóque inter se alligamus. prodest autem quibus deuincire mentum conuenit.




LXXI



LXXII



LXXIII



LXXIIII

Spica Glaucij. Nunc GALENVS.

LXXI.

Nomen inuenit à ſpica, quam ſuo ambitu imitatur, maximè autem proficit, vbi iugulum fractum eſt, aut humerus excidit. eius ratio eſt. Hapſus lanæ mollis ab ea parte, quæ vincienda eſt, alæ ſubijcitur, donec id cauum compleat, poſt hæc faſcia glomerata, quæ longitudinem & latitudinem habeat pro portione eius, quod alligatur, ab altera ala incipiens obliqua per dorſum tendit, quà iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, inde ſub ala affecti humeri ad eam partem reuertitur, quà iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, ita, vt ibi X. literam repræſentet, deinceps obliqua per pectus procedit ad alam integræ partis, inde per dorſum obliqua ad iugulum, ita vt parti prius obuolutæ aliquantulum inſidat, ab eóq; ſub ala iterum datur ad iugulum, ſic, vt ſecundò ſimilitudo X. literæ fiat. poſtremò ad alam integræ partis, atq; ad eandem rationem circumagitur.

Eadem media primùm iniecta.

LXXII.

Adhibita ſpica brachium figurandum eſt ad angulum rectum, atque altera faſcia media inuoluendum, cuius capita recta ducenda ſunt, quà iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, atque ibi in ſpeciem literæ X. aduerſa inter ſe ad alam integræ partis attrahenda, poſt

hæc

hæc per latera atque affectum humerum circundanda eatenus, vt omnia includantur, & sub ala sanæ partis finienda.

Eadem in vtranque partem ducta.

LXXIII.


Media alam affecti humeri complectitur, & in vtranque partem ducta, quà iugulum cum lato scapularum osse committitur X. literæ figuram accipit, inde obliquè pars vna per dorsum, altera per pectus procedit ad alteram alam, atque ad hunc modum, quoties opus fuerit voluta, finitur.

Geranis (ita enim appellatur à gruis similitudine) Hippocratis, siue (vt aliis placet) Perigenis.


LXXIIII.

Iisdem conuenit, quibus spica. in hunc autem modum obuoluitur, vbi spicam iniecerimus, semel circa humerum dari fascia debet, inde ad iugulum procedere tum obliquè ad alteram alam, atque ibi desinere.


Fund




LXXV



LXXVI



LXXVII



LXXVIII

Funda humerum complectens, quæ idem præstat atque Geranis.

LXXV.

Spicam adhiberi priùs conuenit, tum ab ea parte quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, fasciam semel rectà ferri ad brachium, quod ad angulum rectum figuratum sit, atque inde rursus ad eam partem, quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, deinde ad alam integræ partis, post hæc humero & lateribus circundari, & sub ala nodum accipere.

Eadem aliter. LXXVI.

Media vitiati humeri caput amplectatur, capitáque eius recta ducantur ad brachium in vicinia cubiti, & rursus iuxta partes priùs iniectas, quà iugulum cum lato scapularum osse coniungitur, inde ad alam integræ partis, post hæc in orbem.

Aliter. LXXVII.


Media circundanda est alæ integræ partis, capitáque eius in orbem ad latera atque humerum attrahenda, tum sub ala integræ partis iterum demittenda: inde obliqua ducenda sunt ad eum vitiatæ partis locum, vbi iugulum cum lato scapularum osse committitur, deinde rectà per humerum ad cubitum, ab eóque rursus ad eam partem, quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, inde ad alam integræ partis,

partis, postremò in orbem circa humerum.


Spica duplex, quam alij quadrigam dicunt. LXXVIII.

Commodißimè inijcitur, quum vtrunque humeri caput malè habet. eius ratio hæc est. vbi spica simplex data fuerit, fasciam sub alam vincti humeri demittentes obliquam ducimus ad alterum humerum, atque ad eam partem, quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, sic, vt ibi X. literam referat, deinde ad alteram alam, atque ad eandem rationem circumagimus.


Cap




LXXIX



LXXX



LXXXI



LXXXII

Cataphracta. LXXIX.

Nomen habuit à similitudine thoracis Romani, quem cataphractam dicunt, prodest autem quibus deligare iuxta iugulum conuenit latum os scapularum, pectus, dorsum, aut latera, quod vinculi aliqua ex parte duplicem spicam repræsentat, sic autem obuoluitur. Alæ primò circumdatur, tum obliquè per pectus ducitur prope illam regionẽ, vbi iugulum cum osse pectoris committitur, inde per ceruices ad latum scapularum os humeri contrarij atque ad alam subiectam, ab eàque ad ceruices super partem prius iniectam, ità, vt prope ceruices similitudo X. literæ fiat, post hæc obliqua datur [illegible] latum scapularum os ex altera parte, at[illegible] ad alam, ab ala ad ceruices, vt in verte[illegible] colli X. literæ figuram accipiat, deinceps sub ala & obliquè prope eam regionem, vbi iugulum cum osse pectoris committitur, sic, vt hîc quoque similitudo X. literæ fiat, & iuxta ceruices & super latum scapularum os, & sub ala, vt quater X. literam repræsentet, nimirum semel à priore parte, semel à posteriori bis prope iugulum. Ad eandem autem rationem quoties opus est, circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera sic, vt tota iunctura thoracem referat.

Eadem in vtramque partem ducta. LXXX.

Sub ala dari mediam fasciam oportet, & in-

vtramque partem ferri ad proximum iugulum, sic, vt prope ceruices X. literam referat, deinde obliquè porrigi ad contrariam alam, ab eáque ad proximũ iugulum, vt ibi prope ceruices fiat similitudo literæ X. inde ad alteram alam obliquè, postremò in orbem circa pectus.


Sostrati vinculum rectum ad alam & pectus. LXXXI.


Maximè conuenit, vbi medium pectus, vel dorsum aut latera, seu thoracem volumus deuincire: duas igitur fasciolas iustæ longitudinis humerorum capitibus iniicimus, earúmque capita rectà sinimus dependere: deinceps fascia glomerata thoracem totum obuoluimus, & latera: vt cõtegantur, extremámque fasciam nodo alligamus: capita verò, quæ & à priori & à posteriori parte pendebant, fasciæ circuitibus assuimus, ac si longiora fuerint, sursum conuersa, quà iugulum cum lato scapularũ osse committitur, inter se colligamus.

Vinculum in speciem literæ X. ad alam & pectus. LXXXII.


Quas proximè posui fasciolæ, non rectæ, sed obliquæ dependeãt, ita, vt tam à pectore quàm à dorso similitudo X. literæ fiat, cætera eadem fieri debent, quæ, vbi rectè adhibentur.


Amintæ





LXXXIII LXXXIIII





LXXXVI LXXXVII

Amintæ thorax. LXXXIII.

Huic & vinculo, quod ad alam posui, eadem vis est, sic autem fasciatur, imposita cataphracta ad vtrãque partem ducta, vbi fascia eatenus circuierit, vt vsque ad vmbilicum complexa omnia fuerit, capita inter se vinciri debent. sic, vt lupus laqueus fiat, quódque ex his vltra laqueum relinquitur, ad ilia vtrinque adductum prioribus circuitibus inseritur, sic, vt extremum pendeat, quod quatuor digitorum longitudinem æquet, quo fit, vt thoracis fimbrias repræsentet.

Thorax ad idem X. literam repræsentans. LXXXIIII.

Fasciam ilibus primùm à dextra parte inijcito, & obliquè per latus & medium pectus trahito ad humeri caput, ab eóque ad alam, atque iterum ad humeri caput super partem priorem ad effigiem X. literæ, post obliquè per dorsum ad ilia super caput primò iniectum, deinceps per ventrem ad ilia sinistræ partis in orbem circumducito, deinde per dorsum priori parti aduersam, sic, vt ibi eiusdem literæ similitudinem habeat, ad caput humeri dextrum, post hæc sub alam demittito, & rursus ad caput humeri circumagito sic, vt ibi similitudo X. literæ fiat, post hæc per medium pectus ac latus obliquè ad ilia sinistræ partis, nouißimè in orbem circumdato, atque ad eandem rationem

nem

uem voluito, dum quæ liganda sunt, omnia includantur.

Stella. LXXXV.

Adhibito vinculo, cui nomen est thorax X. literam repræsentans debet angustior fasciola dari in orbem semel aut iterum circa pectus & dorsum, & extremo capite fibula deuinciri.

Geranis in speciem fiscellæ. LXXXVI.


Idem potest, quod cataphracta, eius autem ratio est, à dorso incipit, & obliquè per scapulas ad eam partem procedit, vbi iugulum cum lato scapularum osse committitur, inde sub ala demissa eodem reuertitur, vt similitudinem X. literæ super eandem commissuram accipiat, post hæc obliqua per mammam ad vmbilicum, ibíque conuersa obliquè trahitur ad alteram mammam: atque ad eam partem, vbi iugulum cum lato scapularum osse committitur, vt ibi literæ X. figuram accipiat, deinde per dorsum demittitur, & in orbem datur circa latera, atque ad eandem rationem circuit.


Stella à posteriori parte se ostendens. LXXXVII.


Vtiliter adhibetur, quibus deuincire dorsum oportet, sic autem circumdatur, ab ilibus orsa puta sinistræ partis, per dorsum tendat ad caput humeri dextri, inde ad alam, ab eáque per latum scapularum os sinistræ partis ad

alam atque humeri caput, dehinc obliquè per dorsum feratur priori parti aduersa, post hæc semel aut iterum in orbem circa ilia detur, eóque ambitu extrema pars contineatur. Eandem quoque sic circumagere licet, vt à priori parte oculis exponatur, id quod fit, vbi non à priori parte, sed à posteriori æquè circumeat.


Vinc








LXXXVIII LXXXIX





XC XCI

Vinculum quod à fulmine ἐμβαύνιος appellatur. LXXXVIII.

Idem efficit, atque illud, quod proximè positum est, fasciam iustæ longitudinis atque latitudinis mediam in longitudinem scindimus, dum recipere caput poßit, ex capitibus verò vnum à ventre, alterum à dorso patimur dependere, post hæc imponimus id vinculi, cui nomen est Thorax X. literam repræsentans, imáque capita prioris fasciæ scissa in plures partes pendere sinimus.

Simplex vinculum ad ceruicem. LXXXIX.

Commodißimum est, vbi res poscit alteram ceruicum partem alligari, incipit autem à medio latere, & per dorsum fertur ad ceruicem & pectus, post hæc ad latus super caput primò iniectum, deinde per thoracem in orbem.

Duplex XC.


Fascia primùm alæ circumdari debet, tum obliquè per dorsum ad ceruicem procedere, inde ad pectus, & alam atque alteram alam, post hæc obliquè per pectus ad ceruicem ita, vt ibi X. literam repræsentet, deinde obliquè per dorsum ad alam, ac postremò in orbem circumagi, atque ad eandem rationem circuire.

Cuspis, siue hamus. XCI.


Binæ fasciolæ, quæ & longitudinem conuenien

uenien


uenientem habeant, & duorum digitorum latitudinem non excedant, mediæ humerorũ capita complexæ dependent, & tam à dorso, quàm ab vmbilico X. literæ figuram accipiunt, post hæc fibula inter se iunguntur, quo facto obuoluitur Geranis in speciem fiscellæ.




XCII



XCIII



XCIX



C

Rhombus simplex. XCII.

Iisdem prodest, quibus proximè adscripta, conficitur autem ex duplici vinculo ad ceruices, & ex Gerande, antè dictis.

Rhombus duplex ad idem. XCIII.

Fascia ab ilibus orsa obliqua per iugulum fertur ad latum scapularum os, inde ad alā, ab eáque ad iugulum ita, vt quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, referat similitudinem literæ X. post hæc transuersa per collum ad alterum iugulum, tum sub ala demittitur, atque ad idem iugulum reuertitur, vt ibi quoq; similitudo X. literæ fiat, inde obliqua per mammam porrigitur ad ilia contrariæ partis sic, vt in pectore eandem literam referat, posteà in orbem circa ilia fertur, & obliqua per dorsum tendit, quà iugulum cum lato scapularum osse committitur, inde ad alam demissa eodem reuertitur, tum transuersa per priorem partem quà iugulum cum osse pectoris, & quà cum lato scapularum osse committitur, & obliqua per dorsum ad ilia, postremò in orbem. Cùm hoc etiam imponitur, vel duplex geranis, vel simplex vinculum, ad ceruicem, vel etiam duplex.

Sostrati κεραχύνιον XCIIII.

Proficit vbi medium pectus & dorsum deligandum est, sic autem obuoluitur. duo iniici vincula oportet, & quod cuspis & quod stella nuncupatur, tantummodo capita, quæ in stella per

per fibulam inter se iungebantur, ad ilia adducta dependent.

Apollonij iunioris ἡμιμεγαύνιον.

XCV.

Fasciolas, quas in cuspide adhibuimus, ad humerorum capita damus, tum duplex vinculum ad ceruices inijcimus, deinde geranida in speciem fiscellæ.

Sostrati parua ara. XCVI.

Speciosa est, siquidem obuoluta paruæ aræ angulos repræsentat. Primùm deligetur vinculum ad ceruices, deinde geranis in speciem fiscellæ, quo facto adijcitur vinculum Sostrati ad pectus cum fasciolis suspendentibus.

Eiusdem paruum templum. XCVII.

Hoc etiam & decorum est, & idem proficit. recto vinculo Sostrati imposito, illud inijciendum est, quod Quadriga nominatur.

Apollonij Thirij paruum templum. XCVIII.

Binæ fasciolæ super dorsum dantur, quemadmodum in vinculo recto Sostrati ad pectus, posteà simplex rhombus circumagitur.

Geranis in speciē fiscellæ in priori parte se ostendens. XCIX.


A latere orsa obliqua per pectus eo ducenda est, vbi iugulum cum lato scapularum osse cōmittitur, inde sub alam, ab hac eodem reuersa per collum transuersa ducenda est ad commissura

suram iuguli alterius partis cũ lato scapularum osse, deinde sub ala à priori parte versus posteriorem ad eandem cõmissuram porrigenda, inde obliqua per pectus, & postremò in orbem circa ilia. idem quoque vinculum à posteriori parte se ostendet, si circuitus, qui à priori parte fuerant in posteriori collocemus, & eos, qui à posteriori, in priori.

Auriga. C.


Valet ad latera deliganda, atque ad hunc modum iniịcitur. Media fascia collum comprehendimus, capitáque obliqua per pectus attrahimus, ibíque inter se implicata sub alas adducimus ad dorsum, vbi rursus implicamus, atq; ita, donec totum thoracẽ deligauerint, modò à posteriori, modò à priori parte implicamus, extremáque inter se deuincimus, quo vinculo vtũtur aurigæ ad latera continenda.

Expositis fasciịs, quæ thoraci accommodantur, proximum est, vt ad reliquas pergamus.






CI







CII

CIII

EX HELIODORO.

Assuta fascia ad mammam. CI.

Fasciam, cuius longitudo ac latitudo sit pro portione hominis duplicamus, tum initio facto à medio eius partis, quæ duplicatur, summus deorsum obliquè tendentes, deinceps omne id, quod super suturam est, excidimus, vt pilei modo sinus fiat, qui mammam, & quod superiniectum est, capiat. vtrunque huius fasciæ caput in duos scindimus, deinde ab altera parte sinus, quæ cōtra suturam est, & veluti Labrum lintei, fasciolam latam circiter digitos duos à latere suimus sic, vt alterum caput longius sit, breuius alterum, quæ fasciola cingulus dicitur. vinciendi ratio est. sinus datur ad mammam, vt ipsam comprehendat, longius verò cinguli caput per dorsum attrahitur ad integram mammam, & cum breuiori nodum accipit. ex capitibus scißis priora duo sursum ferūtur ad ceruices, ita, vt dexteriori sinistrum, sinisteriori dextrū procedat, pendereque sinatur, quibus cum reliqua duo capita colligantur.

Glomerata fascia ad mammam.

CII.

Longioris fasciæ, quæ tantum latitudinis habeat, quantum vsus requirit, caput in duas partes scissum detur iuxta integram mammam, fascia verò per dorsum obliquè ad vitiatā mammam procedat, ab eáque ad alteram, post hæc

super


ſuper dorſum, inde ad affectam mammam à ſuperiori parte deorſum porrigatur, vt inter vtranque mammam X. literæ figuram accipiat, ſæpiúſque ad eandem rationem circumeat, dum quæ nuda ſunt, omnia cõtegãtur. extrema verò faſcia ſcindatur, tum ſciſſæ partes inter ſe vinciantur altero nodo ſub integra mamma, altero ſuprà collocato.

EX SORANO.


Duplex in vtranque partem ducta, à ſuperiori parte deorſum. CIII.

Mediæ faſciæ, quæ pectori tranſuerſa circumdetur, altera aſſuitur, donec vtranque mammillam pertranſierit, hæc capitibus ſuis rectà ad collum datis ex eo ſuſpenditur, illa per dorſum procedit, vtriuſque capita inter ſe vinciuntur, vt deligandis mammis accommodentur.


Vinc



CIIII



CV



CVI

Vinculum suspendens sex habens capita. CIIII.

Suspendenti vinculo quatuor capitum circa mediam suturam, alia fascia transuersa assuitur, cuius capita, vbi (vt dictum est) deligauerimus, in dorso inter se vinciuntur, ne, aut resolui vinculũ poßit aut rugosum, fieri. Habet autem eundem vsum, quem proximè traditum.

NVNC GALENVS.


Iunctura ad alterum inguen. CV.

Expeditißima est, vbi alligare inguen oportet. Inijcitur autem hoc modo. fascia ab ilibus orsa obliquè per clunes ferri debet à parte inguinis vitiati inter anum & naturale, post hæc sursum procedere ad inguen, tum in orbem per coxam ad ilia super partem priùs iniectam, & ab inferiori parte sursum adduci.


Ad vtrunque inguen. CVI.

Abdomini fasciæ caput inijcito, eámque obliquè per coxam inter anum & naturale attrahito ad inguẽ ab inferiori parte sursum, deinde iuxta caput primò iniectum ad coxam, atque inter anum & naturale ad alterum inguen ab inferiori parte sursum, post hæc infra vmbilicum, sicque circumagito, dum inguen vtrunque includatur.


Eadem




CVIII



CIX





CXII

Eadem in vtranque partem ducta. CVII.

Media fascia incipit ab inguine, capitáque eius ad coxam data litera X. figuram accipiunt, & vnum ad inguen, alterum ab exteriori parte procedit, deinde ambo in vnum adducuntur, atque ad eandem rationem circumeũt.

Aliter ad alterum inguen. CVIII.

Vnum fasciæ caput, quod breuius sit, nec duorum vel trium cubitorum longitudinem excedat, ab inguine dependeat, alterum verò glomeratum, per ilia ad coxam detur atque abdomen, inde obliquè ad coxam & inguen circumagatur ab inferiori parte sursum, tum ad ilia & coxam ac per ilia contrariæ partis ad abdomen, túncque caput dependens ad inguen sursum conuertatur sic, vt ibi sinus fiat, qui altero capite, quod glomeratum est, comprehendatur, post hæc rursus quod glomeratum est, per inguen & coxam ducatur ad abdomen, rursúsq; primum caput duplicetur à superiori parte deorsum, & eo, quod glomeratum est, comprehendatur, ac dum fascia desinat, alterũ quidem duplicetur, alterum, superdetur nouissimè fibula imponatur.

Aliter ad vtrunque. CIX.

Fasciola media lumbos complectimur, capitáque eius ab inguine non secus quàm in iunctura ad alterum inguen sinimus dependere,

tum

tum alteram fasciam à ventre orsam, quemadmodum in iunctura ad vtrunque inguen circundamus, capita verò quæ pendebant, quemadmodum in simplici dictum est, duplicamus.

Pecten seu vinculum suspendens ad colem. CX.


Fasciola media lumbis inijcienda est, capitáque eius super ventrem adducta nodo inter se vincienda, tum alterius fasciæ glomeratæ caput zonæ inserendum, reliqua pars ad colem data in zonam rursus à superiori parte deorsum conijcienda, post hæc sub colem & ad zonam, postremò testiculos complexa, in zonam demittenda est.

Aliter. CXI.


Iniecta zona fasciæ caput super colem imponatur, eáque circa ipsum in orbem detur, donec totum includat, deinceps ad zonam feratur, ab eáque ad colem. atque inde rursus ad zonam: nouissimè testiculos amplexa in zonam demittatur.

Idem ex fascia scissa ac zona. CXII.


Linteum iustæ magnitudinis scindito in partes quatuor sic, vt medium integrum relinquatur, quo colem excipito, tum ab altero capite scissas partes in vicinia colis findito, in quæ fissa conijcito partes alterius capitis, cingulóque inserito, & nodo alligato.



CXIII



CXIIII



CXV



CXVI

Vinculum ad alterum inguen, quod nonnulli dixerunt cancrum pro inguine. CXIII.

Fascia ab ilibus contrariæ partis incipiens obliqua fertur ad lumbos, deinde ad inguen, quod vinciri debet, ab eóque ad summam coxam porrigitur, post hæc ad idem inguen reuersa datur ad regionem, quæ sub vmbilico est, vt X. literæ figuram accipiat, ab eáque ad ilia alterius partis, sicq; circumagitur, donec, quæ nuda sunt, omnia complectatur, túncque vtiliter semel in orbem ambit circa lumbos, & infra vmbilicum. Prodest autem quibus deuincire inguen oportet.

Ad vtrunque inguen.

CXIIII.

Vbi vinculum adhibuerimus ad alterum inguen, omisso circuitu in orbem, in vinculo ad vtrunque inguen fasciam à lumbis attrahimus ad alterum inguen, deinceps ad summam coxam, ab eáque ad idem inguen, vt in altero similitudo X. literæ fiat, deinde ad lumbos adducimus, post hæc eatenus hac ratione obuoluimus, vt quæ nuda sunt, includamus. Valet ad vtraque inguina deliganda, neque ab re est vltra propositos circuitus, in orbem quoque fasciam circumagere.

Iunctura ad inguen tuendum.

CXV.

Fasciæ glomeratæ, à capite duodecim interpositis digitis fasciolam assuere duorum cubitorum oportet, eóque capite super ilia contrariæ partis iniecto, fasciolam rectam à posteriori parte per lumbos & clunes demittere inter anum & naturale, obuolutámque inguini vitiato sursum porrigere, deinde glomeratam fasciam bis, térve circumagere, per quem ambitum fasciola attrahitur quasi per nodum, vbi verò huiusmodi circuitibus in orbem inguen adstrictum est, fasciola ad summam coxam porrigitur, ab eáque ad idem inguen, & ad eam regionem, quæ sub vmbilico est, quo facto ex fascia glomerata vinculum fit ad alterum inguen, nodúmque accipit sub vmbilico. Pertinet autem hoc vinculum ad eos, quibus propter varices, qui inguen implent, manus curatio admouetur.


Assuta iunctura ad anum.

CXVI.


Fascia sumi debet eatenus longa, ac lata, vt huic iuncturæ sufficiat, cui ab vno capite altera valentior fascia lata circiter digitos tres trāsuersa assuenda est, hæc Zonæ nomē inuenit: tum eidem fasciæ interuallo puta nouem digitorum alia fascia transuersa, perinde lata vt Zona, similiter assuenda est, cuius partes vtrinque ad-

iunct

iuncta crura nuncupantur: alterum verò caput rectæ fasciæ, quod contra futuram est, scindendum in duo crura. Homo igitur explicata Zona cingatur, recta verò fascia per lũbos procedat ad anum atq; inter ipsum & naturale, eiúsq; crura ad inguina ducta Zonæ inserantur: post hæc adiuncta crura arctata in Zonam demittantur, atq; ibi cum cruribus alligentur. quod vinculum sine adiunctis cruribus nonnulli ad calculosos, vbi calculus euulsus esset, adhibuere. id nos ob nodorum inæqualitatem reijcimus, ne pars vmbilico subiecta vrgeatur. vesica enim inæqualiter compressa inflammationi obnoxia est. deligamus autem, quibus calculus euulsus est, parua fascia, quam proximè ad inguen proposuimus: sed nunc breuiorem rectam fasciolam assuimus, extremámq; scindimus in duas partes. hæc autem iunctura illis longè commodior est, quàm quæ ani causa inijcitur. siquidem glomerata fascia in orbem voluta lũbos & omne id, quod sub vmbilico est, tegit, extremáq; sub vmbilico prioribus circuitibus assuitur. ex recta verò fascia, quod integrum est, ad anum & inter ipsum & naturale demittitur. partes verò scissæ ad inguina attractæ in priores circuitus immittuntur, quæ vinciendi ratio, calculosis, vbi secti sunt, aptißima est.



CXVII



CXVIII

Sciſſum vinculum ad ſcrotum. CXVII.

Linteum pro hac ipſa iunctura longum latúmue, ab vtroq; capite in quatuor parteis diuiditur, ſic, vt ab vno breuiores ſint, ab altero longiores, deinde à medio verſus breuiores exciditur, donec, vbi vſus requiritur, coles eo cauo excipiatur. Zonam ergo iniįcere primum homini oportet, túncq; ex breuioribus partibus lintei medias duas in Zonã demiſſas, inter ſe deuincire, & reliquas duas in eãdem Zonam coniectas pati dependere. quo facto coles per id cauum excipi debet, ſcrotúmq; totũ comprehendi integro linteo, ex cuius partibus longioribus, duæ exteriores ſcroto inuoluendæ ſunt, ita, vt dextra ſiniſteriori, dexteriori ſiniſtra procedat, deinceps in Zonam demiſſæ eo modo, quo priores permittendæ ſunt pendere, reliquæ duæ mediæ ſcroto ſimiliter iniectæ, vt dextra ſiniſteriori, dexteriori ſiniſtra procedat, per ſummas coxas in eandem Zonam demittendæ, & cum prioribus partibus pendentibus alligandæ.

EX SORANO.


Iunctura ad ſcrotum ex capitibus. CXVIII.

Vni extremæ faſciæ aſſuatur altera media ad imaginem literæ. T. harum, quæ tranſuerſa eſt, hominem cingat: quæ recta feratur ad ſcrotum, ibiq; eatenus incidatur, quatenus coles ſuo cauo recipiatur, extremáque ad Zonam alligetur, vt ſcroti vitįs accommodetur.


EX HELIO



CXIX




CXX



CXXI



CXXII



CXXIII



CXXV

EX HELIODORO.

Fascia glomerata ad cubitum.

CXIX.

Incipit ab imo humero in vicinia cubiti, atque in orbē circumagitur, post hæc obliqua ducitur per priorem cubiti partem, quâ secari venæ solent, tum brachio in orbem obuoluta obliqua ad humerū reuertitur, sic, vt in priori parte cubiti X. literam repræsentet: sic autem circuit, donec tegantur, quæ nuda sunt, & vbique à latere nodum accipiat. Illud autem commune est humeri brachij alteriúsue membri vinciendi, quòd fasciæ in orbem ferri debent, cum eo vt interdum etiam obliquæ procedant, quo vinculum firmiùs hæreat. Huius verò fasciæ extremitas vel inferioribus assuenda est, vel angustiori fasciola vincienda est, aut in duo capita scindenda, quæ ab altera membri parte nodo inter se alligentur.

Iunctura in orbem, quidam adijciunt sub auctore Hippocrate.

CXX.

Huius vinculi ratio est, vt fascia super aliquod membrum pluribus circuitibus in orbem ambiat. rectè autem inijcitur, vt membrū contineat, quod in suum locum restituitur, magis verò pertinet ad corporum, quæ abscesserunt glutinationem, his seruatis, quæ ad artificiosam fasciandi rationem pertinent. abscedentium enim

ore in

ore in inferiori parte sito fascia à superiori parte deorsum procedit, vt humores excernantur, & eorum, quæ abscesserunt alterum alteri insidat, vt glutinentur: sed si vlcus superius sit, vt materia ab inferiori parte sursum sub vinculo excernatur: vbi verò abscedētia corpora transuersa sint, fascia ab ipsis circumdetur versus os, vt humor emittatur.

Menecriti vinculum ad partes extremas. CXXI.

Ab extremo brachio prope manum orsi, vbi fasciam semel in orbem duxerimus, obliquam attrahimus per primam palmæ partem, deinde per palmam ipsam circumagimus priori parti aduersam, ita vt ad primam palmæ partem reuertatur, prope ipsam priùs X. literæ similitudine accepta, atque ad eandem rationem obuoluimus, dum quæ nuda sunt, contegantur. Adhibentur autem vtilißimè vbi & primam palmæ partem, & palmam alligari necesse sit.

Cancer. CXXII.

Angustioris fasciolæ, cuius latitudo exempli causa digitum æquet, capite super primam palmæ partem imposito, ipsa per palmam attrahenda est, & ab interiori parte versus exteriorē obliquè ad pollicem adducēda, tum circa ipsum ab exteriori parte obliquè porrigenda ad primam palmæ partem aduersa parti priùs iniectæ sic, vt super exteriora pollicis X. literam referat,

referat, atque ad eandem rationem eatenus voluenda, vt omnia complectatur, nouißiméque circa primam palmæ partem data finienda est. commodißimè autem obuoluitur ad vinciēdum pollicem, quem ἀντίχειρα vocant.

EX SORANO.

Iunctura ad primam palmæ partem. CXXIII.

Orsa à prima parte palmæ obliqua versus palmam ducatur, deinde per palmam ipsam transuersa, postremò in orbem circa primam palmæ partem, vt quibus hanc ipsam vincire volumus, accommodetur.


Vinculum oppositum. CXXIIII.

A prima palmæ parte incipiens post ipsam obliquè circa pollicem obuoluitur, tum obliquè à priori parte manus ad primam palmæ partem porrigitur, ibíque in orbem attrahitur, vt vinciendo pollici aptetur.

Vinculum, vt in palæstra ductum. CXXV.

Adhibito vinculo opposito fasciam insuper obliquè prope primam palmæ partem versus digitos circundamus, deinde in orbem circa indicem, post hæc obliquè aduersam parti prius iniectæ: prope primam palmæ partem attrahimus, idémque facimus circa reliquos digitos, vt illis idoneum sit, quibus tam quod prope primā palmæ partem versus digitos est, quàm quod post digitorum articulos, vinciri debet.

Rhom




CXXVI



CXXVII



CXXVIII



CXXIX

Rhombus ad medium membrum.

CXXVI.

Fasciæ caput membro iniicimus, eámque super id obliquam ducimus, post hæc in orbem, deinde aduersam parti priùs obuolutæ, atque ab altera parte in orbem, vt ad eas fracturas conferat, quibus carnis quoque vulnus accessit

Rhombus multiplex ad vnicum membrum.

CXXVII.

Super extremam vnius membri partẽ fascia imponitur, & per ipsum æquis interuallis quasi in cochlea serpit vsque ad alteram extremitatem, quam in orbem complexa, obliquè circuit, & in orbem datur aduersa parti priùs iniectæ certa seruans interualla, vt iis, quæ comprehendit, accommodetur.

Palma habena.

CXXVIII.

Orsa à summo membro, obliqua per mediũ ad imum feratur, & in orbem circa ipsum detur, post parti priùs iniectæ aduersa ad summum reuertatur, & iuxta eosdẽ circuitus ambiat, vt eas partes fideliter contineat, quæ recenti callo glutinatæ sunt.


EX HELIODORO.

Rhombus æqualium crurum.

CXXIX.

Tradita iunctura hæc est ad femur, vbi id aliqua parte vulneratum sit, & adiunctæ partes abscedant, cuius ratio est. Ab inferiori parte vlceris fascia in orbem circuit, inde obliqua ducitur à latere vlceris, & rursus in orbem à superiori parte vlceris attrahitur, tum obliqua ad imaginem literæ x. deorsum demittitur, deinceps conuenienti interuallo bis iuxta vlcus obliqua porrigitur semel ab inferiori parte sursum. semel à superiori deorsum, ita, vt bis litera x. repræsentetur, & in medio rhōbus super vlcus collocetur, quo per medium interuallum nudatum humores excernantur. Circuit autem ad eandem rationem, donec quæ nuda sunt excipiat, eóque fit, vt quæ abscesserunt sub vinculo, quasi sponte sua ad glutinationem veniant, nudatóque vlcere, quicquid humoris collectum est, effundatur.


Rhom



CXXXI



CXXXII



CXXXIII

Rhombus inæqualium crurum.

CXXX.

Vbi proximum vinculum inieceris, requirit quod nunc proponitur, vt fascia per vulnus feratur, etiam obliqua. eo vsi sunt, quibus operiẽdi quoque vulneris consilium fuit.

Ascia. CXXXI.

Scribunt, qui huiusmodi iuncturam adhibuerunt, ipsam vtiliter inijci, quibus vulnerato femore proximæ partes diducũtur. sic autem inijci debet. voluenda sub vulnere fascia est in speciem asciæ sic, vt pars gibba deorsum, sima sursum spectet, deinde super vlcus iterum in speciem asciæ priori aduersæ circumagenda est, atque ad eandem rationem attrahenda, dum quæ nuda sunt contegat, ab inferiori parte sursum, & à superiori deorsum procedens, interdum etiam per vlcus, vt ipsum operiat.

Vinculum à latere. x. literam repræsentans.

CXXXII.

Fasciam imo femori in orbem prope genu circumagimus, tum obliquè ducimus, & rursus parti prius iniectæ aduersam attrahimus sic, vt à latere genu literæ. x. similitudinem referat, eodémque modo circunducimus. Potißimum autem pertinet ad eos, quibus genu in alteram partem lapsum reconditum est. repræsentanda

ver


verò X. litera est ab ea parte, in quam excidit.

Testudo. CXXXIII.

Super genu fasciam tendere in orbem oportet, inde obliquam à superiori parte deorsum per patellam demitti ad poplitem, ibique sub genu in orbem iterū circumagi, & parti priùs iniectæ aduersam super patellam procedere in speciem literæ X. post hæc per poplitem & patellam in orbem circuire, atque ad eandem rationem obuolui. conuenit autem patellæ, quomodocunque sua sede proruperit.



CXXXIIII




CXXXV



CXXXVI



CXXXVII



CXXXVIII